

R. P. F.

BARTHOLOMÆI SALVTHII, ORDINIS FF. MINORVM DE OBSERVANtia reformata.

SEPTEM TVBÆ EXCITANTES PECCAtorem ad pœnitentiam.

OPVSCVLVM AD OMNIVM HOMINVM PECCAtis obstrictorum salutem longè vtiliss.

Nunc recens ex Italico in Latinum conuersum.

Per M. Henricum Stampsium, L. DS.

Eremitarum Camaldul. [redacted]

Pro [redacted] [redacted]

1642 die 30 Junij [redacted]



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud PETRVM HENNINGIVM,
ANNO M. DC. XXV.



ADM

F. I
VIGE
RVM R
uantiæ;
sis P
C



rientiâ d
cui nostr
nim hom
legem in
suæ repug
caro ide



ADMODVM REVEREN-do in Christo Patri

F. NICOLAO VIGERIO FF. MINORVM REGVLARIS OBSERuantiæ; Prouinciæ Coloniensis Patri & Guardiano Coloniæ ad Oliuas.



OMINIS vitam in terris militiam esse Iob asserit, ipse gẽtium Doctor experientiâ doctus confirmat: & cui nostrûm illa deest? quis enim hominum nõn sentit aliã legem in membris legi mentis suæ repugnantem? nimirum caro identidem concupiscit

aduerſus ſpiritum, & hæc ſibi mutuo aduerſantur: Ecce militiam, quæ continuò exercet genus mortalium. Pugiles ergò ſumus & ſub Magni Ducis, Chriſti, inquam, vexillo militiam profitemur: hoſtes habemus in exitium noſtrum sẽper vigiles, quin & viribus doliſque validos. ſed quæ malum iſthæc turpis militum ignauia, tam ſegniter arma militiæ ſuæ tractantium? negligimus armaturam Dei, non reſiſtimus ei fortes in fide, ſed otio luxuque diffluentes ſalutem noſtrã fœdè proſtituimus, adeoque tam leuiter victi vinctique ſuccumbimus. Quid facto opus? Excitari ſocordiam oportet, & velut clangentibus Tubis, & quodam quaſi Claſſico ad prę-

lium

lium animari. Tubas huiuſmodi multas habet nunc Orbis Chriſtianus, Diuini ſcilicet Verbi Præcones, & vtinam Tubas magis dicere liceat, quã Tibias; qui nempe potius voce magna ac zelo vehementi annuncient populo ſcelera eorũ, quam compoſitis ad plauſum gratiamque vocibus blandiantur. Talẽ ſanè SALVTHIVM noſtrum eſſe, & ad ſacrum hoc Bellum Præconis munere præclarè fungi, teſtis eſt Orbis Chriſtianus, non parcit ille voci ſuæ, nec hominum indulget affectibus, aut vitijs, ſed Tubis vehementi ac ſonora voce inflatis omnes ad ſpiritualem pugnam, & ad arma pœnitentiæ contra hoſtes noſtræ ſalutis fortiter capienda conuocat & impellit.

Verum hoc in munere Tu quoque Ad^m. R. P. non segniter hactenus versaris vt Patria tua sileat, vna Tibi Colonia sat locuples testimonium datura est. Exaltas quippe quasi Tubavocem tuam, & annuncias populo scelera eorum; dum zelo magno parique fructu diuini verbi Præconem agis. Sed hæc missa facio, vix enim admittit virtus illa, & humilis animi demissio isthæc laudum præconia; satis habes, militasse hactenus Deo, laborasse Christo, & ab eo veram laudem, atque vberem laborum mercedẽ præstolari. Mihi vero nunc satis erit, si intelligam te, quem offero libellum beneuole ac gratanter accepisse, hinc enim indubiam spem concipiam,


tua quoque orationum & sacrificiorum suffragia mihi nō defutura. Coloniæ ipso die D. Bernardi Anno 1625.

Admod. R. P. Vestræ

Paratissimus.

PETRVS *Henningius.*

amoris ergo
M.V.P. Bonifacio
Polinski
[illegible]
[illegible]



F. BARTHOLOMÆVS INDIGNVS

crucifixi Iesu seruus, sorori suæ charissimæ S. Mariæ Magdalenæ gloriosæ in cœlo benedicti Iesu sponsæ.

S. P.



N, soror mea charissima Magdalena, Crucifixi sponsa, peccatrix quondam, sed pòst sancta, amoris Ianitrix, & omnium peccatorum patrona, nunc cœlesti gloria beata, ecce inquam absolui libellum à me inscriptum Septem Tubæ excitantes peccatorem ad pœnitentiam. Quem, quoniam de te sanctis tuis precibus adiutus conscripsi, cui rectiùs quàm tibi tuisq; sanctis precibus commendarem reperire potui neminem: vt tu ipsum defendas, eiq; ob peccatorũ salutem & auxilium adsis. Enimuerò cui conuenientius hunc libellum, vnde eius-

eiusmodi sonus exiturus est, qui peccatores iuxta ac peccatrices excitare debeat, dedicare potuissem, quàm S. Magdalenæ peccatrici? cui inquam opusculum isthoc, quod de peccatorum salute tractat, alij à me omnium peccatorum abiectißimo atque improbißimo inscribi oportebat? Tibi igitur, soror mea Magdalena, ipsum commendo. Tu aßidua eius comes effice, vt fructum, hoc est animarum salutem pariat. Memento Magdalena benedicta, te peccatricem fuisse, quæ nisi te dilectus tuus meusq; Iesus vocasset tibiq; auxilium tulisset, fuisses condemnata. Tu scis nostrum Iesum ob salutem peccatorum mortem oppetijsse. Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. *inquit Apostolus I. Tim. I. Et Christus ipse apud Matth.* Non est opus, *inquit*, valentibus medicus, sed malè habentibus. *Et in Euangelio* Lucæ 15. *de eodem scriptum esse non ignoras:* Hic peccatores recipit & manducat cum illis. *O igitur Magdalena fer opem miseris peccatori-*

bus. Ora pro tot animarum, quæ se eunt perditum conuersione atque salute. Tu vides, tu nosti Magdalena chariſsima, quanta animarum multitudo in dies ſingulos, imò in ſingulas horas in profundam tenebroſi Inferni abyſſum deſcendat. Subueni, opitulare, porrige manum pereuntibus animis. Recordare, ſoror, omnes animas pretioſiſsimo noſtrûm vtriuſque Ieſu ſanguine eſſe redemptas. Tu ſcis quid Ieſus noſter in monte Caluariæ pro nobis omnibus peccatoribus fuerit perpeſſus. Optimè, ſat ſcio, meminiſti ſanguinis illius, quem ex omni ſanctiſsimo eius corpore, interim dum è cruce pendebat, in terram vidiſti profluentem. Recordare Magdalena, quæ fuerit animæ eius anxietas, cùm ipſum tanto mœrore in ſancto Crucis ligno morientem vidiſti. Ades auxilio tuo, vt ſalutem conſequantur animæ, quæ pretioſiſsimo illo ſangnine ſunt redemptæ, qui ex diuino capite acutiſsimis Coronæ ſpinis tranſpuncto & fodicato in terram tam abundè demanauit. Subueni miſeris animis, quæ tantâ ſanguinis ex ſan-

ctißimis crucifixi Iesu, tui Magistri manibus pedibusque instar torrentis ac fluminis decurrentis copiâ sunt redemptæ. Ades tuis sanctis precibus, vt seruentur animæ, quæ sanguine illo atque aquâ sunt ablutæ, quæ è latere tui Iesu ad acerbißimam mortem vsque promanauit. Hem quantam vim sanctæ tuæ preces, ô Magdalena amore Dei inflammata, apud amantißimum sponsum tuum habent, vt miserorum & peccantium hominum animæ salutem obtineant! Tibi igitur dedico & consecro hoc meum seu tuum potius opusculum, quod secundum dulcißimum nostrum Iesum eiusque Matrem Mariam, illum patrem, hanc omnium peccatorum matrem, acceptum tibi refero.

Ergo in nomine sanctißimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti. In virtute nominis Iesu & Mariæ, tuo item, ô B. Magdalena, accedente auxilio in orbem prodeunt SEPTEM meæ TVBÆ, quæ per virtutem sanguinis, mortis, & paßionis Christi Filij Dei, eiusdemque Dei viui & veri hominis, perterreant,

conuer-

conuertant & ad pœnitentiam & Crucifixum innumeros peccatores vt saluentur, reducant. Amen. In nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Tribue, Magdalena mea, mea omniumq; peccatorum, qui isthunc libellum lecturi sunt, animæ & corpori sanctißimam tuam benedictionem, per virtutem corporis & sanguinis benedicti nostri Iesu in sanctißimo Sacramento. Amen. Ora pro me. Romæ ex loco nostro S. Francisci Transtib. die 14. Iunij. 1612.

T. Charissimus & deuotissimus Frater in Domino.
F. Bartholomæus.

AP

APPROBATIO.

SEPTEM TVBARVM sono, quem Reuerendus Pater Bartholomæus Salutius Ordinis FF. Minorum inflauit, excitatus è somno peccatorū: næ ille nouissimam Dei TVBAM lætus & securus audiet:

SVRGITE MORTVI, venite ad Iudicium.

PRO CENSVRA & libri & interpretationis.

IOAN. ANDREAS Zimmerman, Theologiæ D. & Professor, id tẽporis Decanus Collegij Theologici Archiducalis Academiæ Friburgensis.

IV. Septemb. Anno M.DC.XX.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſimo P. M. S. P. Apoſt.

Cæſar Fidelis Viceſg.

LIbellum Reuerendi Patris Fratris Bartholomæi à Saluthio, cui nomen inditum eſt, SEPTEM TVBÆ, ex commiſsione Reuerendiſsimi P. Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, omni quâ potui diligentiâ examinaui, ac eundem ſalutari doctrina refertum, nihilque contra bonos mores aut Catholicam fidẽ continentem, ſed omni ex parte laudandum agnoui. Qui cùm pec-

cato-

catores primùm terrore concusſos, deinde ſpe ad Deum erectos, à deſperatione liberans, à præſumptione deijciens conſoletur, plurimum, meo iudicio, populo fideli allaturus & emolumenti, ſi prodeat in publicum. Dat. in Conuent. S. Franciſci Tranſtib.

F. Dionyſius à Turre S. D. N. Confeſſarius.

EX-



EXHORTATIO

SALVTARIS TERRO-
REM IVDICII, AC TIMO-
rem Diuinæ vltionis incutiens
& compunctionem.

EXpergeſcere ô miſerabilis homo iamiamque morituræ, & poſt vermes in puluerē vnde & ſumptus es iterum reuerſure. Tinniant aures cordis tui, ita vt formides à voce tonitrui magni terribiliter intonantis. Oportet nos præſentari ante tribunal Chriſti vt referat vnuſquiſque quę geſſit in corpore ſuo: ſiue bonum, ſiue malum. Vbi cum pręſentatus fueris, qua cernes fronte vultum tremendi iudicis, tibi quidem tuiſque ſimilibus terribilem

iuſtis,

iuſtis vero placabilem? Cui quia non es compaſſus, vereri ne conregnes: à quo cum ſemper auerſus fueris, quæ prohibuit faciẽdo, & quæ præcepit contemnendo, quomodo ad eius ſtatuaris dexteram inter electos, cui omni tempore familiare fuit ſiniſtris actibus, & præcipiti ruina præcellere reprobos? Tunc ignis in conſpectu eius exardeſcet & in circuitu eius tempeſtas valida, tũc ignis ante ipſum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos eius. Tunc vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Dies iræ dies illa dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubarum clan-

clangoris. Tribulabitur ibi fortis, vbi si iustus vix saluabitur, tu peccator vbi parebis? ibi dulcem vocem Christi audient iusti inuitantis eos in Patris sui regnum. Ibi amaram vocem audient iniusti condemnantis eos in ignem æternũ. Ibi qualem te exhibuisti cum esses in hoc mortali corpore apparebit. Et quoscunque nunc imitatus fueris: indubitanter inter illos tunc deputaberis. Diligẽter igitur animaduerte & illic vtcunque poteris aciẽ cordis fige, distinguens ordines electorum Dei & longè distantes ab eis distinctiones reproborum, & facilli me perspicies iuxta meritorum æstimationes tuimet iudicio tibi iuste non deberi locum inter benedictos nisi

nisi veniam largiatur ipse qui animæ benedicentis cum iniquitatibus propiciatur. Intuēs enim angelicos supernorum ciuium choros & reuersus ad considerationem tui nullatenus te ipsorum consortio admitti censebis, eo quod non angelicè sed diabolicè viuendo ab eorum imitatione semper auersus fueris. Si Apostolorum Christi amabile collegium consideres, nullam tui & ipsorum conuentionem inuenies, quippe qui nec exemplis eorum omnia relinquendo Christum secutus fueris, nec doctrinis eorum faciendo, quæ docuerūt assensum præbueris. Victrices martyrum diuerse punitorum cateruas admirans absurdum est, si illorum te ingerere

gerere præſumas contubernio quos conſtat te minime æmulatum, eo ſaltem genere martyrij, quo membra tua quę ſunt ſuper terram occulte mortificares. Quis te infeliciſſimum hominum admitteret inter egregios Chriſti Confeſſores, corde quidem credentes ad iuſtitiam, ore autem confitentes ad ſalutem qui ſpeciem ſanctitatis habens confiteris te noſſe Chriſtum factis autem negas. Qua ratione reciperis in Conuentu Deo deuoti agminis beatorum videlicet Monachorũ & Eremitarum quibus crucifixus fuit mundus & ipſi mundo, tu qui falſo monachus diceris, exiſtens vt ſepulchrum foris dealbatum, intus plenũ oſſibus mortuorum. Qua fiducia

cia vel reſpicere audeas ad virgineos flores ad lilia candore caſtitatis nitida, opinione virtutum fragrantia, quibus ſpirituale eſt cantare canticum quod nemo alius dicere poteſt? tu cuius terra ſpinas & tribulos peccatorum germinat, cuius veſtimentum mixtum eſt ſanguine criminū, propter quod erit in combuſtionem & cibus ignis. Expaueſce miſer ne ſancti pœnitentes recuſent te admittere ſuæ ſocietati, per quos dignos penitentiæ fructus facientes regnum cœlorum vim paſſum eſt, & ipſi violenti diripuerunt illud; cum tu propter impœnitens cor tuum theſaurizes tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei. Pertimeſce infelix ne te velut re-

pro-

probum hominem vniuersitas electorum in suas mansiones recipere detestetur, eo quod in omni tempore vitæ tuæ inquinatæ fuerint viæ tuæ: & plenus vniuersitate vitiorum vacuus fueris sanctitate. Erubesce igitur perdite quod te omnino alienatum à consortio beatorum quæsitum vbique nusquã inter eos inueneris quem dispar intentio & opus semper in tenebris peccatorum detinuit & à luce illorum tibi inaccessibili penitus seclusit. Ecce tu homo qui merito nullam portionem tibi esse in terra viuentium conscientia tua te accusante iudicas, restat vt ex aduerso vbi sis ponendus colligas, inter eos nimirum, qui dicunt bonum malum, & malũ bo-

bonum ponentes dulce amarũ & amarum dulce, qui ducunt in bonis dies ſuos in puncto autem in infernum deſcendũt Non eſt enim, vt ſimul omnia complectaris à primo peccante vſque ad nouiſſimum quem non ſis, plus omnibus peccando, ſecutus: mala perſuadentibus acquieſcẽdo, in temetipſo tecum delinquendo, alijs vt & ipſi male facerent perſuadendo. Quis ergo tam prophane miſerebitur tui, vt te mortuum lugeat cum quiſque à Domino ſibi dici pertimeſcat, quare tu luges cum ego abiecerim eum. Sed ne in abyſſum deſperationis corruas, conſoletur te quod dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vere miſericordem propter lachrymas fidelium

lium ſuorum eadem miſeri-
cordia moueri ſuper te non
deſperas qua filiam archiſyna-
gogi porrecta illi manu reſuſ-
citauit, & iuuenem reſuſcita-
tum matri viduæ reddidit, &
ſpiritu fremens & lachry-
mans, flentibus Martha & Ma-
ria Lazarum quatriduanum
etiam fœtentem de mo-
numento vo-
cauit.





IN NOMINE PATRIS, ET FILII & Spiritus, Sancti, Amen.

SEQVITVR INITIVM SEPTEM TVBARVM, *R. P. F. BARTHOLOMAEI SALVTŸ, Ordinis F. Minorum de obseruantia reformata.*

ET SEPTEM ANGELI, *qui habebant sep- tem tubas, præparaue- runt se, vt tubâ cane- rent*, Inquit sanctus Ioannes in Apocalypsi, postquam eo- *Apoc.8.*

dem

dem capite octauo dixerat: *Et vidi septem Angelos in conspectu* DEI, *& data sunt illis septem tubæ.* O Peccatores fratres, Ego non Angelus sum, sed peccator, non vestri modò similis, sed peior vobis, maximus *videlicet*, qui mei vestrique DEI honoris, simul & vestræ salutis studio commotus, non dubitaui exiguum hunc libellum foras emittere, qui Septem Tubæ inscribitur, vt in auribus vestris insonarent, vosque ad dulcissimum DEVM, vestrum Patrem, inque salutis vestræ viam reducerent. O miseri aduertite vos de viâ deflexisse, iamque contentissimo gradu ingredi viam ęternę perditionis. Aduertite infelices, vos stare super os inferni in singula momenta in profundam abyssum præcipitandos. Vnde ego vestri charitate motus, in hoc meo tuguriolo Oratorij nostri S. Ioannis Baptistæ, ad fontem Palumbum commorans, DEO benè fauente, simul precibus Deiparæ MARIAE Virginis, & omnium Angelorum, sanctorumque Paradisi, præcipuè verò S. Ioannis Baptistæ, & gloriosi Patris

mei,

mei, Sancti Francisci adiutus, Peccatores quosuis his verbis compello: O Peccatores, Peccatores reuertimini ad DEVM, relinquite Diabolum, abscedite à mala vita, viaque pessima quâ ambulatis. Redite, fratres, ad vestrum Creatorem: Parate viam animæ vestræ, quà amantissimus IESVS venturus est ad vestros animos inhabitandos. Expellite, fugate miseri ex anima vestra execrabiles Dœmonas, qui in cordibus vestris sibi nidum extruxerunt.

O Miseri, nondum sentitis animas vestras tantas esse cauernas, plenas serpentium & draconum immanium, qui vos deuorare semper sunt parati? His fugatis & expulsis, in vestræ cubiculum animæ amantissimum IESVM intromittite, qui foris stat pulsans & clamans: Aperite mihi, aperite, aperite filij mei. Cur igitur miseri, inimicos vestros domi vestræ relinquitis, benignissimum verò patrem vestrum foras excluditis?

Aperite illi, mei fratres, apperite illi, ac tandem hunc ſolum veſtrum eſſe Creatorem, veſtrum Redemptorem agnoſcite. Redite ad vosmetipſos, miſeri, & diſcite hunc eſſe IESVM illum Chriſtum, Patrem veſtrum, veſtrum Creatorem, veſtrum DEVM, veſtrum Redemptorem, qui vos benedicto ſuo ſanguine redemit, pro vobis ſancto in ligno Crucis mortuus. Contemplare O peccator ſummum illum amorem, quo te complexus eſt, atque etiamnum complectitur amantiſſimus IESVS tuus, & caue iterum ipſum offendas. Aſpice, infœlix, quemadmodum tuâ ſolius gratiâ in cruce pendeat. Intuere ipſum manibus pedibuſque in ſancto ligno, tui amore tranſverberatū. Cerne quemadmodum pro te ſolo diuinum eius caput circumcinctum ſit acutiſſimis ad pungendum ſpinis. Vide illum contemptum, inter duos Latrones, ceu graſſatorē quempiam cruci ſuffixum, idque pro te ſolo. Audi quibus conuitijs & maledictis à tranſeuntibus pro te ſolo afficiatur, *Vah, inquiunt, qui deſtruis templum DEI, & in tribus diebus*

bus readificas illud: saluum fac temet ipsum. Audi ipsum siti propè ene- *Mar. 15*
ctum, alta voce clamantem, *sitio, sitio*, tui solius amore. Nam hæc erat ardens illa sitis (præter sitim naturalem) tua scilicet salus. Audi ipsum, nihil quicquam stomachantem, pro peccatoribus, interfectoribus suis benignè deprecantem, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* O amo- *Luc. 23.*
rem IESV, O misericordiam: O crudelitatem, & malitiam eorum, qui ipsum crucifixere. O vos ingratos & scelerosos Peccatores, qui IESVM vestri tantoperè amore inflammatum nihili facientes, Dæmonibus vos aggregastis, Dæmonibus seruitis, cum Dæmonibus manducatis, dormitis, viuitis: qui etiam cum Dæmonibus miserè moriemini, nisi ad IESVM vestrum reuertemini.

Hoc vnum (modò velitis, miseri) satis esse oportebat, vt vos ad amantissimum vestrum IESVM reduceret, amoris nempè illius recordatio, quo vos benedictus ille IESVS prosequitur, qui pro vobis solis mortem oppetere,

1. Tim. 1. pretiosumque suum sanguinem profundere voluit. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus venit in hunc mundum, Peccatores saluos facere quorum primus ego sum,* &c.
1. Cor. 6. S. Apostolus inquit, & alibi: *Empti enim estis precio magno: glorificate & portate* DEVM *in corpore vestro.* Vos verò miseri, nullâ eius ratione habitâ, ipsum despicitis. Ille vos tanto amore: vos ipsum tanto odio prosequimini. Ille pro vobis mortuus est: vos vt ipsum offendatis, viuitis. Ille animam suam pro vobis dedidit: vos animas vestras traditis Diabolo. Ille vos è manibus Diaboli vindicauit: vos in eius fauces vosmetipsos propellitis. Ille vos ab Inferno liberauit & morte; vos mortem vobismetipsi peccando consciscitis, apparetque vos infernum in eius contemptum subire velle. O vos infelices, vel vestri vosmet misereat, & siquidem illi principio, aut non vultis, aut non potestis seruire amore, incipite tamen ei seruire tantisper metu, dum vestro tandem errore intellecto,

seruire illi incipiatis, vti par est amore solo. O optime IESV mi, O IESV amantissime, peccatoris miserere. Ne insipientiam eius respice, neu pertinacem eius animum recordare. Intuere IESV dulcissime amorem illum, quo nos complecteris, sanguinem quem pro nobis profudisti. Intuere ignominias atque tormenta, quæ pro nobis es perpessus: intuere viuum illum & calentem cruorem, qui ex omnibus lacerati tui corporis partibus demanauit. Miserere peccatoris: quandò ipse errorem suum seu non animaduertit, seu animaduertere non vult. Ex quo fiet, vt sanctus tuus honor ac gloria amplificetur maiorque euadat.





DIVISIO SEPTEM TVBARVM.

CAPVT I.

Apoc. 8.

ET PRIMVS ANGELVS *Tubâ cecinit.* Inquit S. Ioannes. Nullum dubium est, Peccatores, quin, si vestri libertate arbitrij, diuinæque gratiæ ope & auxilio vti velitis: accedente item gratâ illa & breui exigui prologi superiùs à me conscripti vocula, optimè possitis, adeoque debeatis peccatum, & seruitutem maledicti Diaboli relinquere, & ad IESVM amantissimum animarum vestrarum sponsum reuerti. Verùm cùm tàm altùm dormiatis, vt gratum gratarum & suauissimarum vocum sonum nō percipiatis, aut percipere nolitis, statui crepitantium tubarum sonum quendam efficere, vt experiar, possimné vos è vitiorum somno, quo oppressi iacetis, expergefacere.

Esai. 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem*

vocem tuam, inquit Esaias Propheta, vt peccator eam exaudiens, ad pœnitentiam se conuertat. Ego vero vos fratres oro, vt *si hodie vocem Domini audieritis, nolitis obdurare corda vestra.* Psal. 94. Fratres intereà dum harum tubarum sonitum auditis, nolite vestra corda obdurare, ne vobis Dominus succenseat.

Et primus angelus tubâ cecinit. Vt ad institutum nostrum reuertar, statui his septem horrisonis tubis, in exiguo hoc libello auribus insonare, vt tandem horrendo soniti exterriti, flagitiosam vitam vestram relinquere incipiatis, inque veram ac rectam viam redeatis, quæ vos saluos & incolumes ad portum cœli fœliciter ducat. DEVM testans, vos, si ad sonitum canentium harum tubarum obdurueritis, accuratissimam in ipso mortis momento rationem reddituros. Quod DEVS prohibeat, sed amor potius ille, atque charitas, quæ me ad conscribendum ob vestram salutem induxit, eadem vestros animos dociles & tractabiles efficiat, vt sonitus qui vestram salutem reso-

nat, vos penetrare possit.

PRIMA TVBA ob oculos ponet summam læsionem quâ peccator suis peccatis DEVM afficit. SECVNDA peccati turpitudinem. TERTIA damnum quod peccatoris animæ affert peccatum in hac vita. QVARTA damnum quod in morte apportat. QVINTA damnum quod in iudicio infert. SEXTA damnum quod in inferno parit. SEPTIMA societatem quam secum trahit peccatum in vita, in morte, & post mortem.

Hæ sunt, O Peccatores fratres mei, septem tubæ, quas ad gloriam DEI, vestram salutem, Diaboli confusionem, in hoc libello nostro inflabo: ideoque precor, vt cum eas audiueritis, strenuorum instar militum, expergiscamini, cum hostibus vestris fortiter prælium commissuri, neu committatis, vt ab equis bene edoctis, & in bello atque armis exercitatis alacritate vincamini, qui ad tympanorum tubarumque concentum altas ceruices superbè quatientes, pedibus terram præraden-

radentes, hinnitus deniq́ue edentes, se ipsos pariter atque insessores suos ad pugnam excitant atque acuunt.

O Fratres mei Peccatores *Viriliter agite & confortetur cor vestrum.* Pugnate fortiter, magnoq́ue animo adversus Diabolum, Mundum & carnem dimicate. Fert necessitas, *res vestra agitur*, agitur inquam, fratres, hîc de rebus grauibus & ad vos pertinentibus, agitur hîc de salute, aut de exitio animę sempiterno: ideoq́ue è vitiorum lethargo, quo oppressi estis, expergiscimini. Mores vestros & instituta mutate: vitam ducite Christianis dignam. Veniat vobis in mẽtem promissi quod Redemptori vestro in baptismo fecistis. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, inquit S. Apostolus. Fratres. *Operamini dum dies est. &c. quia veniet nox, quando nemo poterit operari: Dum tempus habemus operemur bonum.* Paulus inquit, quia à morte, imò in ipsa morte recepturus est vnusquisque, iuxta opera & facta sua.

Psal. 30.

Eph. 5.


Gal. 6.

Ecce venio citò & merces mea mecum est, reddere vnicuiq; secundum opera sua. Reddet vnicuique iuxta opera sua quemadmodum Sacra scriptura passim affirmat: Nunc tempus est, fratres, nūc tempus est, quod cauendum est, ne a-
Apoc. 22. mittamus.

Hora est iam nos de somno surgere, Peccatores. *Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora* (calamitosa): Itaque fratres mei peccatores, redite ad DEVM, relinquite Peccatum, quia *Nisi conuersi fueritis gladium suū*
Rom. 13. *vibrabit: arcum suum tetendit & para-*
Deut. 32. *uit illum.* Reuertimini igitur, reuertimini ad pœnitentiam: quia, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, inquit Saluator. Vehemens est
Psal. 7. hæc comminatio, Peccatores fratres, vt quæ vestri officij sunt, facere constituatis, deque ijs quæ vobis accidere pos-
Luc. 13. sunt, cogitetis. Christus IESVS, qui vobis hæc verba loquitur, pro sua misericordia vestros animos ita afficiat, vt quemadmodum decet, seruire illi studeatis, non timore aliquo, sed syn-

cero

cero amore: non vt serui, sed vt veri & dilecti filij tàm benigni & amabilis Patris. Amen.



IN NOMINE PATRIS, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

PRIMA TVBA.

Quemadmodum Deus de peccatore grauißimè conqueratur.

CAPVT II.

ET *primus Angelus Tuba cecinit.* Vtinam Peccatores Fratres, solus primæ huius Tubæ sonitus sufficiat. Vtinam DEVS duabus duntaxat vocibus huius Tubæ & verbis, ita cor vestrum afficiat, vt vos ad vestrum DEVM, vestrum Creatorem, Redemptorem, vestrum dulcissimum & amantissimum Patrem reuerti compellat. Cur Spiritum Ionæ Prophetæ non habeo, qui quinque solis verbis mag- *Apoc. 8.*

nam ciuitatem Niniuem, vbi tot animarum millia erant, conuertit? *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Ita canorâ vocis suæ tubâ sonat S. Propheta Ionas, clamans & comminans. At ego non faciam, vt sonum tàm horrendum initio audiatis, sed cupio vos audire querimonias, quibus amantissimus vester Pater, Deus, Creator ob vestram ingratitudinem, fatuitatem & miseriam dolens vtitur. Enimverò quis est quem non tam dulcis non horrisonæ tubæ, sed suauissimę lyræ sonus moueat? Audite, quæso, quanto dolore vestram ingratitudinem inculcet. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus, Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & fuderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Sic Dominus, per os Prophetæ Ieremiæ loquitur. O Peccatores miseri, reputate vestram vobiscum miseriam, & videte quàm verum sit, vos fonte viuo Deo Creatore

Iona 3. *Iere. 2.*

vestro,

vestro, derelicto, è cisternis, quæ aquam non continent, bibere. Annon miseri, videtis auaritiam esse cisternam quæ aquam lætitiæ non continet? siquidem Auarus semper tristis, nunquam satiatur. Annon aduertitis, gulam seu intemperantiam esse Cisternam, quę nullam satietatis aquam continet, quia nunquam expletur? Annon cernitis libidinem esse cisternam, quæ aquam non continet completæ delectationis, sed quæ in ipso voluptatum cumulo affligat, & corpus pariter atque animum consumat. Annon intelligitis, Ambitionem esse cisternam, quæ aquam non continet exsatiatæ cupiditatis? quandoquidem Ambitiosus in cruce assiduè versatur. *O ambitio, ambientum crux, quomodo omnes torques, & omnibus places?* inquit S. Bernardus. S. Bern. Quod vester benignus Pater videns, de miseria vestra supra dictis verbis queritur. Et paulò post eodem capite, per os eiusdem Prophetæ loquitur: *Scito & vide, quia ma* Iere. 2. lum

lum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. Aduerte peccator, quàm lenibus, quamque plenis commiseratione verbis te Dominus tuus afficitur. Deus bone, cuius cor hæc Domini mei verba non dirumperent? Quanta cum miseratione & clementia ea pronunciat? Videtur loqui oculis lachrymis manantibus, ex commiseratione, qua tui gratia, peccator, afficitur. S. Moyses Dei bonitatem: contrà scelerati atque iniqui populi Hebræi malitiam considerans, hac acerba oratione eum reprehendit. *Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit & fecit, & creauit te?* O charitatem, O clementiam Dei erga peccatorem! O miseriam, O stultitiam, O stoliditatem peccatoris aduersus Dominum suum! Nō vacat per omnem veterem, nouamque sacram scripturam, ad institutum nostrum persequendum volitare: quæ Dei erga peccatorem charitatis, & peccatoris

Deut. 32.

toris

toris aduersus Creatorem suum ingratitudinis & stultitiæ plena est. Neque enim hac de re sola differere institui: sed pauca quædam perstringere, ad salutem animarum iam ferè perditarum, quæ propè assiduè in vitiorum & peccatorum sordibus ac cœno volutantur. Illud tantùm exaggerandi amoris, quo te peccator, Deus complectitur, gratia dicam, quod in parabola filij prodigi Euangelium habet. *Et vidit illum à longè pater ipsius, & misericordia motus, accurrens, cecidit super collum eius & osculatus est eum.* & alibi: *Videns Ciuitatem fleuit super illam, dicens: si cognouisses & tu, & quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Cernebat calamitatem & ingens illud excidium, quod ob ipsius necem, Ciuitati Hierosolymæ euenturum erat, cuius mali commiseratione amarè fleuit. Videns quoque prodigum illum filium quamuis perditum, lacerum, & fame enectum, facultatibus suis per libidinosam & meretriciam vitam consumptis,

Lucæ 15.

tis, procul tamen eum conſpicatus,
vixq; eum audiens dicentem: *Sur-
gam & ibo ad Patrem meum*, om-
nium præteritarum iniuriarum obli-
tus in ipſius complexum ruit. O Pecca-
tores, peccatores conuertite vos ad hu-
ius ſolius tubæ ſonitum, amorem DEI
& Patris veſtri ergà vos contemplan-
Luc. 15. tes. Tantoperè amantiſſimus IESVS
amabat atque amat Peccatores, vt ſui
hoſtes, calumniandi gratiâ dixerint:
Matt. 9. *Hic peccatores recipit, & manducat*
Luca 19. *cum illis.* Atque is ſuo ipſius ore.
Non eſt opus, inquit, *valentibus medi-*
Matt. 20. *cus, ſed malè habentibus. Venit enim fi-
lius hominis quærere & ſaluum facere,
quod perierat. Filius hominis venit da-
re animam ſuam redemptionem pro
multis.* Hem, quàm ingens eſt amor
dulciſſimi IESV erga vos peccatores!
quem (ſi ita loqui liceret) erga miſerum
peccatorem amore ebrium eſſe dice-
rem. O IESV ſuauiſſime & amantiſſi-
me, cùm tu tantoperè peccatorem a-
mes, comminue illam duritiem, quâ a-
nimus eius opprimitur. Solue glaciem,
qua



quâ astrictus est. Frange tam immite & durũ adamãtini huius cordis marmor. Isthuc fac dulcis IESV, per viuum quem pro nobis fudisti sanguinem, fac per immensum quo nos complecteris, amorem, fac per quicquid pro nobis cogitasti, dixisti & egisti, Amen.



DE SVMMA INIVRIA, QVA PECCATOR, *cum peccat, summam Dei Maiestatem afficit.*

CAPVT III.

QVid verò nunc de summa iniuria, quâ vos Peccatores Deum afficitis, dicemus? qua lingua narrari, quo stylo exaggerari, quo verborum genere tanta iniuria, dedecoris turpitudo possit exprimi? Multis de causis ineffabilis

lis est offensio qua Deus Peccato offenditur. PRIMA est, ratione obiecti, contra quod committitur, ipse scilicet offensus Deus, qui cùm infinitus sit, peccatum quoque infinitum esse necesse est; adeò vt peccatum licet natura sua & per se (vt sacri Teologi loquuntur) non sit infinitum, sed nihil, *Peccatum nihil est* obiectiuè; tamen vt vsitata scholæ Theologice vocabula retineamus, peccatum infinitum est. Considera igitur, peccator, quanta peccati tui sit magnitudo, vt quod infinitum est, Cerne quantum committas mali, tàm citò, vel intrà momentum vnicum. Vide quanta in te sit peruersitas, qui te rei infinitæ opponas. Perpende quàm sis improbus, qui Deo resistas, cuius bonitas est infinita. O improbe, malitiose, peruerse, flagitiose, scelerate Peccator, quæ tua est audacia vt cum Deo, Creatore tuo, disceptes aut contendas? SECVNDA ratio est. Nam cùm Deus natura, præsentiaque ac potestate sua vbiuis locorum sit, adeoque in te, qui illum offendis, in re, qua offendis, in membris tuis, quibus offendis

dis eundem, attende quantum ſit peccatum tuum: quippe qui ſis adeò effrons, vt præſente magna illa Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Maieſtate, nihil vereare committere res tàm fœdas, tamq́ue turpes, vt te à tot cœleſtium oculis abſcondere cupias, teq́ue tuiipſius pudeat. Nam intereà dum flagitia tàm horrenda ſuſcipis, tamq́ue turpes & obominandos errores committis, obſcura loca & remota, ne à quoquam videare, quæris: & iam ſecurus es, cùm Deus te videat & conſpicetur? *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* & alibi ſcriptura: *Oculi*, inquit, *Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum: Vultus autem* Domini *ſuper facientes mala. Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades*, &c. Breuiter, vade, quocunque vis, intra quò vis, fac quicquid vis, non potes te ab oculis Dei abſcondere. Age, conſidera paulùm, ſi quid ſurripias, Deus præſtò eſt in ani-

ma

ma tua, in corde tuo, in tuo intellectu, in voluntate tua, in manibus pedibusque tuis, in ipsa re quam furaris, in domo quam ingrederis, in area vbi ambulas. Perpende, libidinose, quæ tua sit impudentia & scelus, siquidem intereà dum res non fœdas tantùm & turpes, sed bestiarum proprias, & quæ nominari non debeant, designas, DEVS est in te, non gratiâ, sed illapsu quodam generali, est in membris tuis, in re, eiusque rei membris, quâ peccas. Itaque tu peccas, in quo DEVS est, in re peccas, in qua DEVS est, iisque membris vteris, quibus Deus inhabitat.

1. Cor. 6. *Nescitis quia membra vestra templum sunt spiritus Sancti?* inquit S. Apostolus. O igitur tuam, Peccator, inuerecundiam! O scelus! O impudentiam! quanta est hæc iniuria, quâ afficis Deum?

Tu verò iracunde, narra mihi, dum percutis, occidis, interficis, discerpis hostem tuum, nunquid in te est Deus? in hoste tuo nonne Deus est? in tuis eiusque membris, nonne Deus est? ni-

hil

hil certius. Est in manibus, quibus occidis, in membris eius, quem occidis, in gladio, quo occidis. O igitur ſceleratum, O iniquum, O crudelem & impium, qui nullam tantæ maieſtatis præſentiæ rationem habes! quod nullo modo faceres in præſentia Principis, quamuis humilis & exiguæ authoritatis.

Quod ad TERTIAM rationem attinet. Dicite, quæſo, peccatores, quonam ſupplicio dignus videretur is, qui ab honorato quopiam viro multa beneficia accepiſſet. Domum nempè ab illo eſſet receptus, & conueſtitus, cùm antè fuerit lacerus: priſtinæ ſanitati reſtitutus, antè malè affectus & infirmus: factus opulentus, cùm antè fuerit in mendicitate: in ſummo demùm dignitatis gradu collocatus cùm antè contemptiſſimus fuerit & abiectiſſimus: ſi hic, inquam, gratiam ſcilicet relaturus, bonis, facultatibus, exiſtimationi, vitæ denique benefactoris ſui inſidias pararet? Et ſi proditionem moliens præſente atque inſpectante tanto

Fau-

Fautore ſuo, ſocietatem, cum illius inimicis ac hoſtibus coiret, vt ipſum conuitijs & criminibus inſectarentur, aut trucidarent deniquè? Dic, quæſo, quodnam ingratus hic ſupplicium cõmereret? certè grauiſſimum. Age nunc mihi dicito, quibus pœnis, quibus tormentis ſis, O inique, dignus, cùm te â Deo tuo ſeiungis, qui te fecit, qui te creauit, qui tibi animam corpuſque dedit, illam facultatibus, hoc ſenſibus ſuis inſtructum? qui te creauit ex nihilo, cùm ipſe nihil fueris? adeoque qui te in ſtatu tuo conſeruat, qui te creauit, adeoque tui conſeruandi gratiâ, tot tamque multas, quà viſibiles, quà inuiſibiles res pro creauit: Cœlos, Solem, lunam, ſtellas, Elementa, res mixtas & compoſitas, tuâ ſolius gratiâ. Qui etiam amoris & charitatis abyſſis ſuperatis, pro te factus eſt homo viſibilis & mortalis: ſe exponens ad omnes malorum acerbitates perpetiendas, cum impatibilis eſſet. Qui poſtremò ſe ipſe necandum obijciens, nudus, inſtar flagitioſi cuiuſpiam, in medio duorum latronum (ceu caput eorum) in trun-

co

co Crucis mori voluit, tantùm vt te à morte, peccato, Diabolo & inferno liberaret, ſeque ipſe tibi daret in Cœlo.

Tu verò contrà omnibus tuis viribus aduerſaris huic Deo tam benigno, huic Patri tam indulgenti, Domino tam comi & humano, huic maieſtati tàm magnæ, omnique ſtudio & neruis tàm fœdis tamque nefandis criminibus ipſum iniuria afficere, offendere, & deſpicere contendis. O improbum, iniquum, ſceleratum! quod ſupplicium commeritis tuis dignum reperiri, aut conſtitui poſſit? O clementiam & patientiam Dei ingentem, quæ cùm iniquos illos demergere atque deijcere in infernum poſſis, & dare Diabolis in profundam voraginem aſportandos, non modò id non facis, ſed benignè etiam & patienter eos ſuffers & expectas, & ad reſipiſcentiam vocas. Quin etiam tam ſæuis hoſtibus benè facis, conſeruas, tueris, defendis eos tot annis, tàm quod ad corpus, quàm ad animam pertinet: vocas eos, obuiam ijs vadis, inuitas eos, teque ijs offers, velut

lut si amore esses ebrius ergà hunc, qui te tantoperè offendit, tantâque afficit iniuriâ. O ingentem Dei amorem, O pietatem, O patientiam, O misericordiam!

Quantam causam habuisti, diuine Propheta, quamobrem dixeris: *Misericordias Domini in æternum cantabo. Misericordiâ Domini plena est terra. Et misericordiæ eius non est numerus. Et misericordiæ eius non est finis.* &c. Sed veniamus ad QVARTAM causam, Peccatores, quæ demõstrat, quanta sit iniuria, quâ peccando Deum afficitis. Quid igitur, aliud agitis miseri peccatores, quandò peccatum committere vultis, nisi quòd in alteram lancem rem adamatam & exiguam voluptatem, quam inde speratis, imponitis, in alteram Deum? Edicite nunc igitur, vtrum horum præstantius aut melius sit, Deusne, an res illa, & voluptas? Vos verò sententiam fertis, melius hoc esse affirmantes. Quo modo relicto Creatore, creaturam assumitis: deserto Deo, in quo sunt omnia, accipitis


pitis quod nihil est: relicto summo bono, complectimini id, quod nullam boni speciem præ se fert, nisi fucatam & momentaneam. O iniuriam, O probrum, O dedecus, quo Deum vestrum Patrem benignissimum afficitis! Progrediamur ad QVINTAM causam. Quid igitur miser peccator agit aliud cùm peccat, nisi quòd in controuersiam ac disceptationem vocat, vtrum sua, an Dei voluntas sit melior? vter vtri antepanendus, ipse, an Deus? vtri potiùs & paratiùs obtemperandum sit, Deone, an exiguæ suæ appetitioni. Atque ille properè problema colligit & concludit, suam voluntatem esse potiorem, præstareque suo appetitui obedire; itaque ipse sese constituit alium Luciferum, Deo superiorem.

O execrandi Luciferi! O peccatores scelerati! qui cùm obiectissimum stercus sitis, tantos spiritus sumitis, vt efficere vos ipsi cupiatis, & quantùm in vobis est, efficiatis DEO superiores. Quæ igitur pœna in altera vita de vobis sumetur alia, nisi quòd in manus superbi

illius Luciferi, cuius tàm diligentes e-ſtis imitatores, trademini? Peccatores fratres mei, nolo in hoc argumento eſ-ſe longior, quoniam me diſputatio me aliò auocat. Mihi ſufficit, ac vobis quo-que ſufficere oportebat, horrendum huius primæ noſtræ Tubæ ſonum tàm breuiter audiuiſſe, vt deteſtandum pec-catum euitantes, à Sathana vos diſiun-gatis, & ad dulciſsimum veſtrum Crea-torem, Dominum & Redemptorem ac-cedatis, vtque in poſterum ab inferéda illi tanta iniuria deſiſtatis, & tot con-tumeliarum, quibus ipſum hactenus affeciſtis, finem faciatis. Facite hoc Fratres, quod vos per viſcera, perque viuum IESV Chriſti Domini noſtri ſanguinem oro. Humi ad veſtros pro-ſtratus pedes, vobis dico: O Fratres, per crucifixi IESV vulnera, nolite tot iniurijs ipſum ſæpiùs afficere. Nolite magis tot peccatis veſtris eum offen-dere. Deſinite poſthâc, fratres mei, meum veſtrumque dulciſsimum IE-SVM contemnere & conculcare. Ad te verò, mi IESV, conuerſus dico: O

IESV

IESV amor dulcissime, da veniam peccatori, Amen.



SECVNDA TVBA.

DE PECCATI TVRpitudine.

ET *secundus Angelus tubâ cecinit.* Ap
Ecce vobis. Peccatores, tubam secundam, ad excitandum vos è somno peccati. Ecce vobis secundum Angelum, qui insonat, vt vos excitet. Quid verò aliud significat Angelus sermone græco, nisi nuncium, & legatum nostrâ linguâ? Ecce, Peccatores fratres, secundum nuncium, secundum legatum, qui veniens vocat vos, vt ad Creatorem vestrum, & vestrum Patrem reuertamini. Amabo vos fratres mei, si vos primæ tubæ sonitus, & primi nuntij consilium, & monitum nihil mouit, quando ob oculos vobis proposuit offensam, magnamque iniuriam, quâ peccando Deum afficitis, quod sanè sufficere debebat: moueat tamen vos peccati turpitudo, quemadmo-

admodum secundus isthic Angelus secundæ suæ tubæ horrendo sonitu, monebit. Certum est, Fratres, quod si peccati turpitudinem animo comprehendere possetis, fieri nullo modo posse, quin, vti decet, omnibus fugiendum illud viribus putaretis. Nam tanta est Fratres, peccati deformitas, vt rectè Dei pulchritudini opponatur. Enimverò quid aliud per se naturâque suâ peccatum est, nisi inordinatio quędam, & deformitas contrà diuinam voluntatem? Peccatum per se nihil est.

Ioan. 1. *Et sine ipso factum est nihil*: (inquit S. Ioannes) hoc est, Peccatum: Cuius deformitas, absque Deo facta est: siquidem ad deformitatem illam & inordinationem, Deus non concurrit: tametsi Deus, (quemadmodum Scotus Doctor subtilissimus loquitur) ad actionis substantiam, non tamen continuò ad eius deformitatem concurrit. verbi gratiâ: Furatur quisquiam, adeoque peccat. Duo hic habentur: alterum est substantia actionis, puta furti, quod est, extendere manum, remque ipsam apprehendere & auferre, item manibus pedibusque

que vti. Ad hanc igitur actionem instituendam, DEVS concurrit, nisi enim Deus ad manuum & pedum motionẽ, apprehensionem, furti ablationem cõcurreret, committere is furtum non posset. Præter actionem deinde inordinatio est, & actionis deformitas, hoc est actionem illam aliena bona surripiendi, consequitur inordinatio contrà diuinam legem, & voluntatem, quę vetat ac prohibet furari; quam ad rem Deus non concurrit. Idem accidit, cùm hostis interficitur, cùm adulterium aut vnumquodlibet peccatum committitur, semper duæ res considerantur, actionis substantia, eiusque deformitas: ad quarum alteram Deus concurrit, ad alteram minimè. Agitedum, cernite quanta peccati huius sit fœditas: quippe quod diuinæ legi & voluntati aduersetur. Adhæc omnes Doctores affirmant, peccatum esse auersionem quandam à DEO, & ad Creaturam conuersionem: adeò, vt quoties peccatum admittitis, vos ipsos auertatis, secernatis, & disiungatis à vestro dulcissimo Deo, ad Creaturam

vos conuertentes. Nunc intuemini, quàm fœdum ſit hoc peccatum, quod in cauſa eſt, vt tergis ſummo bono obuerſis, ad Creaturarum fæcem & cœnũ vos conuertatis. Ex quo fit, vt ſummâ pulchritudine relictâ, ad ſummam deformitatem & fœditatem vos adiungatis. Nolite, quæſo, ampliùs hoc facere.

Redite ad vos ipſos diuino auxilio ſubleuati, & miſeriam veſtram ac cæcitatem agnoſcite : neque ſegregetis vos à ſummo iſthoc bono, neu puriſsimum diuinitatis aurum rerum vel momento temporis pereuntium fæce cõmutetis. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis;* inquit S. Apoſtolus. Prætereà, ſi videre vultis turpitudinem execrandi peccati, & deformitatem, illius intuemini: Diabolum per ſe eſſe pulcherrimum, vt qui naturâ ſuâ ſecundum Deum, omnibus rebus & creaturis, formâ & pulchritudine antecellat. *Duo feciſti Domine: vnum propè te, & aliud propè nihil*, inquit S. Pater Auguſtinus.

Rom. 6.

S. Aug.

nus. Illa, cuius natura proximè te accedit, reliquis omnibus perfectior, est natura Angelorum: altera, quæ propè nihil est, materia prima; cuius vis, (vt ita dicam) entitas, tàm exigua est, vt Philosopho ansam præbuerit asserendi, quòd sit ens tantummodò facultate. Vnde non pauci occasione arreptâ, negauêre materiam esse ens: tametsi subtilissimus Doctor contrarium tueatur, contendens, non esse illam in sola facultate quadam positam, sed esse ens, licet tam exiguum & exile vt nõ multum à nihilo distet. Esto verò, sit ens, at in postremo statûs & entitatis gradu, vsque eò, vt si vel vnus gradus abest, nihil esset. Hæc à me non citrà occasionem dicta sunt, vt nimirum vobis demonstrem, Diabolum naturam esse à Deo creatam, omnium longè perfectissimam atque pulcherrimam: veruntamen vno peccato solo, tàm fœdum sese reddidit, vt Pater noster S. Franciscus, ab Aegidio comite & socio suo hac de re interrogatus, solitus fuerit respondere, fieri non posse, quin, si quis Diabolum in sua fœditate, spatio, quo

precatio Dominica prouinciari posset, conspexisset, moreretur. Heu igitur Fratres, quantam peccati huius oportet esse fœditatem, cùm tantā vim habeat obtegendæ naturæ adeò formosæ, eiusque reddendæ tam fœdæ, quæ citrà naturæ corruptionem, tàm deformis turpisque appareat. Hem fratres mei, agite dùm alacriter, ad huius tubæ sonitum vos attollite, fœdus, quod cum peccato & Diabolo habetis, rumpite. Sed progrediamini longiùs, vt peccati huius turpitudinem cernatis. Considerate primos parentes nostros Adamum & Euam, cum primùm creati fuêre, antequam deliquissent, nudos fuisse. Vir quidem creatus est iustâ corporis staturâ, mulier verò ætate ad pariendos liberos aptâ, quemadmodum paulò pòst reipsâ apparuit, quàm Paradiso expulsi fuerunt. *Adam verò cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit & peperit Cain.* Attamen antequàm peccauerant, propterea quòd originalis Iustitiæ dono essent præditi, adeò puri erant ac simplices, vt simplicium puellorum ac puellarum instar, nullâ

Gen. 3.

affi-

afficerentur verecundiâ: sed tandem simul primùm vetitum pomum comederant, & contra Patris ipsorum Dei obedientiam deliquerant, dicit scriptura, quod: *Aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt se esse nudos, & consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata* &c. Neque hoc ijs satis fuit, sed scriptura dicit: *Et cum audissent vocem Domini Dei, deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.* Tantusque pudor fuit, vt, cùm se nudos esse cernerent, non satis fuerit pudenda folijs ficulnis operuisse, sed in media arbore sese absconderint. Atque hoc est quod Deus dicit, pòst clamans: Adam vbi es? cui ille, *Domine*, inquit, *vocem tuam audiui & timui, eò quòd nudus essem.* Quis verò indicauit, quòd nudus esses, nisi peccatum inobedientiæ? cur pomum quod vetuerã comedere, comedisti? O execrandum peccatum, quanta tua est fœditas & turpitudo?

Genesis 3.

Genesis 3.



SEQVITVR EADEM *materia de peccati turpitudine.*

TAnta eſt ac talis peccati turpitudo, fratres, vt ſi peccator animam ſuã poſt admiſſum peccatum videre poſſet, horror ipſum defigeret. Annon de adultero illo legitur, qui cùm adulterio commiſſo, domum reuertiſſet, mulier liberique exclamante extemplò fugere cæpêre? nam Diabolum aliquem videre videbantur cornibus fœdiſſimis Hic cûm in ſpeculo ſe contemplaretur, ſeſeque tàm deformem cerneret, pauore percuſſus, foras exiuit, peccata confeſſurus: omnes verò paſtores, quique ipſum conſpiciebant, adeoque ipſa bruta animantia conſpectum eius fugitabant, tam fœdus erat & horribilis. Quid tum? accedit ſacerdotem, qui ad templi fores aſtabat, diuinum officium facturus. Videns verò illum aduentantem ad templum, exterritus templi fores occludit, atque ægrè aperuit, adeò erat

erat perterritus: licet alter se peccatorem esse affirmaret, qui confiteri vellet, quique tàm deformis per peccatum factus esset, rogans, vt timorem omitteret. Tum sacerdos confirmatus, apprehendit illum, qui confessus pristinæ suæ formæ restitutus est.

O anima, anima, ô infelix anima, si te videre posses in peccatum prolapsam, quantoperè te tuiipsius puderet? quantus terror te inuaderet, si te cerneres tam fœdam, tamque spurcam esse factam, quæ antè bella fuisti & formosa? Præterea, si intueri postulatis fratres, quanta sit peccati turpitudo, considerate, quòd quando flagitium quodpiam estis commissuri, ne à quoquam videamini, vos abdatis: & si fortè inter peccandum deprehendamini summo pudore & dolore afficimini, adeò, vt si peccatum vel ad complures annos detectum fuerit atque rescitum, summoperè in eius conspectum prodire erubescatis, cui notum illud esse scitis, aut etiam suspicamini.

O piæ animæ quæ in DEO totæ acquiescitis, narrate vos hisce peccato-

ribus, quantum pudorem, quantam cõfusionem, quantum opprobrium, quantum denique dedecus in vobis ipsis percipiatis, dum subinde per fauorem diuinum cælestibus virtutibus & (vt ita dicam) influxibus præditæ, sentitis vos cælestibus diuinæ gratiæ radijs collustratis? & cùm in clarissimo lucidissimoq; Diuinorum donorum & munerum sole, tanquam in speculo, vestræ quondam infirmitates compareant: atque ita totum vitæ vestrę cursum cernitis, pręteritę simul & pręsentis? Quando etiam cernitis tantarum offensionum multitudinem, & peccatorum atque iniuriarum numerum, quibus olim Deum vestrum affecistis, innumerabilem? Isthoc quæso renunciate animæ, sorores meæ, hisce peccatoribus: & benignissimum pro illis sponsum rogate, vt pro sua misericordia partem aliquam singularis sui fauoris, quo vos toties donati estis, ijs impertiat. Facite hoc, obsecro, per amorem eius, qui vos tantoperè amat, quemque vicissim adeò amatis, vt illud certissimum habeatis, à vobis nullam rem

rem gratiorem illi posse præstari, quam ipsum orare, vt condonet animabus: easque collustret, quas tàm charo & æstimabili precio pretiosi sui sanguinis, in sanctæ crucis ligno redemit. Vos igitur isthoc facitote, Ego vnum duntaxat, quod ad exaggerandam peccati turpitudinem stupendum in modum valet, proponere aggrediar.

Audite fratres peccatores: Peccatum tàm fœdum est, vt S. Iobum compulerit diem illum, horam & momentum, quo in lucem susceptus erat, exe- Iob. 3.
crari hac tremendâ oratione: *Pereat dies in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras: non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine, obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis: occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec memoretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna: maledicant, illi qui maledicunt diei.*

Et

Et eodem capite paulò inferiùs hæc horrenda quidem illa, sed mysteriorum & affectuum plena loquitur verba: *Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero, non statim perij? quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus?* Quid ergò dicetis fratres? virum tam sanctum & perfectum, Iobum, de quo Deus suo ore sathanæ ita
Iob, 2. memorat: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, simplex, & rectus ac timens Deum, & adhuc retinens innocentiam?* Quid, inquam, Quid? Ex ore tàm sancto tàm formidanda verba, quod ad sensum literalem attinet, exijsse. tametsi maximè recondita sunt & mysteriorum plena? quò sanctum virum diem, noctem, horam, momentum denique ortus sui detestantem, aliò respexisse arbitramini, nisi ad peccatum, in quo fuerat conceptus? O mirandam & obstupescendam hanc peccati exaggerationem! Quam insigniter turpitudinem & vitiositatem scelerati peccati amplificat, tot tantorumque malorum

lorum ſtirpem & ſemen? Faxit Deus, vt huius horrendæ & terribilis tubæ ſonitus efficiat, vti rei tam fœdæ & exitioſæ, veluti peccatum eſt, dorſum tandem obuertere ſtatuatis, Amen.



IN QVANTO ODIO ſit peccatum apud Deum.

CAPVT VI.

ODio ſunt DEO impius, & impietas eius. &c. Tanta eſt peccati turpitudo, fratres peccatores, vt Deus, qui nihil eſt, niſi pulchritudo & bonitas, ſummo odio illud habeat: neque peccatum ſolùm, ſed etiam peccatorem. Odio ſunt Deo impius & impietas eius, inquit ſacra Scriptura. Cum ex multis rebus, ingens illud odium, quo Deus peccatum proſequitur, cerni poteſt, tùm è duabus maximè: quarum altera eſt, quòd ſæpè illud ſubitò puniuit. Peccauit Lucifer cùm ſuis ſequacibus: Deus autem faſtidioſam illam ſuperbiam ſufferre nequaquam potuit: Sap. 14.

ac

ac ministro Michaele Archangelo è Cœlo illum præcipitauit. Peccarunt primi nostri Parentes Adam & Eua, quos repentè ex paradiso exturbauit. Multa sunt in sacra Scriptura exempla pœnarum, quibus Deus peccatores subitò affecit. Peccauit populus Israeliticus, vitulum aureum adorans, & subitò indignatus DEVS ad Mosem clamat:
Exod. 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Peccarunt ijdem, coturnices postulantes, & Scriptura: *Adhuc,* inquit, *esca eorum, erant in ore ipsorum, & ira* DEI *descendit super eos.*
Psal. 77. Breuiter, Scriptura plena est consimilium exemplorum: tametsi è contrariò longè diuina misericordia abundantior extet in expectanda Peccatoris resipiscentia, idque causæ est, quamobrem in Scriptura tot exempla reperiantur, peccatorum non subitò à Deo punitorum: vt se in misericordia diuitem demonstret, quemadmodum S. Apostolus dicit: *Deus autem, qui diues est in misericordia,* eos expectare voluit, quoad resipiscerent. Centum annos
Ephe. 2.

mun-

mundi pœnitentiam expectauit, priusquàm per diluuium inundaretur, & intra tempus illud iussit Noen prædicare pœnitentiam: tametsi illi creditum non fuerit, iuxta perpetuam mundi consuetudinem, qui nunquam, aut perrarò Prophetis, qui interitum illi denunciarunt, credere voluit: ac potius eos persecuti, varijs & atrocissimis mortis generibus interfecerunt & occiderunt. Quid vsu venit Esaiæ? quid Ieremiæ? quid alijs Prophetis? Docet hoc S. Euangelium: vbi IESVS CHRISTVS Dominus noster Hierosolymis comminatur; *Ierusalem*, inquiens, *Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*. Sed his omissis, dicamus quantum tempus expectauerit, antequam super obscænam illam ciuitatem pluerit. Nam pòst cùm iam submergere illam decreuisset, tàm clemens alioqui, apparet ad hoc capillis (vti dici solet) fuisse protractus. Vnde Scriptura, *Clamor*, inquit, *Sodomorum & Gomorrhæorum, multiplicatus est, & pec-*

Matt. 23.

Gen. 18.

& peccatum eorum ag grauatum est nimis. Descendam *& videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam,* &c. Breuiter, etsi ad ostendendam magnam suam misericordiam multa in scriptura exempla reperiuntur, vbi videre est, quamdiu peccatoris pœnitentiam expectauerit: tamen vt odium, quo peccatum auersatur, Deus demonstret, multa sunt exempla, ex quibus apparet, simul atque peccatum fuerit admissum, seuerissimè fuisse punitum. Quod magnum est peccati turpitudinis argumẽtum: cùm Deus illud subinde tolerare nequeat, vel ad vnicum momentum. ALTERVM, ex quo intelligi possit, quanto Deus odio peccatum prosequatur, illud est, quod illius subuertendi gratiâ, æternus Pater vnigenitum suũ filium, in Cruce morte ignominiosissimâ & contemptissimâ inter duos latrones medium mori voluerit. *Sic enim Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret*, inquit, D. Ioannes. *Qui etiam proprio filio suo*

Ioan. 3.

Rom. 8.

non

non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, inquit S. Apoſtolus. *Propter ſcelus populi mei percuſsi eum, Poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum*, inquit Propheta Eſaias. Age nunc peccator, perpende hoc loco, conſidera, ſi Pater ille æternus, ad profligandum peccatum, hominem tàm ſanctum interfectum voluit, eumque, qui non homo tantùm eſt, ſed pariter Deus; Et ſi voluit, vt mortem peccato afferret, vitam deponi tàm pretioſam, tantique valentem, vt Apoſtolus dicat: *Empti enim eſtis pretio magno*, quantum DEI aduerſus peccatum odium oportet eſſe? quàm porrò fœdum, faſtidioſum & abominandum ſit execrandum illud peccatum neceſſe eſt, cùm IESVS, qui *erat ſpecioſus præ filijs hominum*, in ſacra ſua Paſsione talem ſe reddiderit, peccati tollendi gratiâ, vt S. Propheta Eſaias dixerit: *Et vidimus eum, & non erat aſpectus, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus; vnde nec reputauimus eum, & nos putauimus eum quaſi leproſum, vt per-* cuſſum

Eſa. 53.

2. Cor. 6.

Eſa. 53.

cussum à Deo & humiliatum? &c. Heu igitur fratres peccatores, si Pater ille æternus, ne peccatum remitteret, suo ipsius filio non condonauit: quanto in odio apud ipsum consequenter, quamque fœdum execrandum peccatum sit necesse est? idque eò magis quod æterno Patri satis non fuerit, suum filium mori, sed voluerit, vt moreretur in cruce, morte longè ignominiosissimâ: vtque doloribus cumulatus, tàm pessimè acciperetur, vt ipsius non ampliùs forma cognosceretur.

O maledictum peccatum, quod fuisti causa, quamobrē dulcissimus meus IESVS tam contemptim fuerit crucifixus. O IESV amor mi, miserere peccatorum, earumque animarum, quas pretiosissimo tuo sanguine redemisti, & quæ tanto tibi constant.

Psal. 128. Neque dicatis Peccatores, IESVM fuisse crucifixum propter solum Adami peccatum, cùm verè mortuus sit propter mundi peccata. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*, inquit Propheta, sub IESV Christi persona. Quid multa? IESVS CHRISTVS

TVS Dominus noster, mortuus est omnium scelerum delendorum gratiâ, generatim simul & particulatim; adeoq; non secus pro omnibus, atque pro vno solo mortem oppetijt. Imò pro vnica anima se crucifigendum obiecisset, & si opus esset, idem pro quacunque hominis omnium abiectissimi anima denuò faceret.

Hei peccatores igitur, ne sæpiùs idem committite. Desistite in posterum indulgentissimum IESVM, Deum vestrum & Creatorem, tot tantisque peccatis iterum cruci suffigere. Quid enim? à solisne Iudæis ipsum crucifixum esse dicitis? At ego vobis, fratres, confirmo, quòd quotiescunque scelus aliquod committitis, quantum in vobis est, de integro eum crucifigatis, efficiatisque, vt, si Passio, quam sustinuit, non sufficeret, vnoquolibet vestro peccato mortali, eandem passionem ipsum denuò sustinere cogeretis. *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium* DEI. Heu igitur Fratres, absistite à tãtis offẽsis: nec ampliùs, tot iniurijs afficite Deũ, qui vos tãtoperè amat, *Heb. 6.* *Ier. 3.*

tam-

tamque benignè resipiscentiam vestram expectat, *Conuertimini*, inquiens, *filij reuertentes. conuertimini ad me in toto corde vestro.* O misericordiam! O amorem IESV! O peccatoris ingratitudinem! O IESV dulcissime miserere nostri. Iniquitatem nostram ne respice: Respice magnam illam misericordiam & amorem, quo nos complecteris. *Et miserere nostri, secundum magnam misericordiã tuam*, Amen.

Ioel. 2.



TVBA TERTIA, DE DAMNO QVO Peccatum animam in hac vita afficit.

CAPVT VII.

Apoc. 8.

ET *tertius Angelus Tubâ cecinit*, &c. Huc ades, frater peccator, & attentè huius Tubæ sonitum percipe. Nam cùm iniuria, quà Deum afficis, nihil te ad relinquendum peccatum mouerit, nec

nec illius turpitudine terreare, quemadmodum primâ & secundâ sonante Tubâ audiuisti: constitue saltem peccatum fugere, ob ingens damnum, quod ex eo anima tua accipit, etiam quamdiu in hoc mundo viuis. O miser, si scires quantum acciperes damni, quoties peccatum aliquod committis, certissimus sum, te illud ceu serpentem quempiam vitaturum. *Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum; quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas; plagæ illius non est sanitas,* inquit Sapiēs in Ecclesiastico. Heu, quàm terribilis isthæc est sententia, fratres peccatores, vt vos peccatum fugere faciat; vtpote quæ demonstret, quanta sint detrimenta, quæ prauitas illa secum trahit & apportat. Vt verum est illud: peccati morsum venenum esse serpentis venenosissimi, & qui difficulter sanari possit! Nam *peruersi difficile corriguntur. Et impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Sacra scriptura inquit.

Eccl. 21.

Eccl. 11.

Prouer. 18

Quantâ vi opus eſt, vt adulter, auarus, intemperans, iracundus, aut alius quiſpiam, qui longo tempore vitijs aſſueuerit, conuertatur? Hodiè faciemus: cras dicemus, & ſic venitur ad mortem. Quàm verum eſt, peccata dentes eſſe leonum, firmos ſcilicet, longos, & graues plagas facientes! Leones vno impetu & momento animalia dilaniant: peccatum quoque ſimili momento animam diſcerpit: vtpote quod omnes eius interiores ſimul, & exteriores vires conquaſſat & perturbat, intellectum offuſcat, affectus ceu glaciem frigefacit, facultates occæcat, vires animæ ſemper ita debilitat, vt ad reſiſtendum infirmior efficiatur. Enimverò quid ait? ab his leonis (peccati) dentibus corpus tantùm interfici? *interficientes*, inquit, *animas hominum*. Nô dicit, quod animam reliquorum animantium, ſenſuum tantùm participem, aut animam herbarum plantarumvè vegetantem interficiant: Sed dicit, *animas hominum*. Interficiunt peccata animas humanas. Vtinam videre poſſetis, fratres, quos ictus animis ve-

vestris, quoties peccatis, daretis. Vtinam possetis videre, quàm grauiter eas percuteretis, vulneraretis, & ceu tormentis quibusdam sauciaretis, quoties, ô infelices, peccatum committitis. Idcirco ibidem Scriptura optimè. *Quasi Romphæa*, inquit, *bis acuta omnis iniquitas*. Quod intelligi potest, quia peccatum corpus pariter atq; animam damnat: aut ideò dicit, peccatum esse romphęam bis acutam, vt augeat & exaggeret lethales plagas, quas animæ infligit: seu quòd intelligentiam obcæcat, & perfrigerat voluntatem. Neque Scripturæ hoc sufficit, quod satis grauiter alioqui vulnus & damnum, quo peccatum animam afficit, exprimebat: Sed inquit, *illius non est sanitas* Neque certè aduersus peccati plagam naturale remedium inuenitur: sed quæritur supranaturale quoddam, & diuinum. *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Luca 5. Considerate nunc peccatores, quàm vehemens sit plaga vestra, atque, an naturaliter possit sanari? *Incurabilis & insanabilis cura eius*: Neque enim hæc

macula deleri, neque plaga sanari potest, nisi Deus ipse manum admoueat. Heu Peccatores, vt estis infirmi, & quã magno vobis opus est medico vt conualescatis? illo medico opus est, de quo S. Pater Augustinus; *Magnus*, inquit,
S. Aug. *de cœlo venit medicus, quia magnus iacebat ægrotus.* Breuiter vulnus vestrum incurabile est, neque aliâ re sanari potest, nisi Sanguine IESV CHRISTI.
Heb. 9. *Et sine sanguinis effusione*, inquit S. Apostolus, *non fit remißio.* Cæcus quoque & annosus ille Tobias, vt amissum lumen reciperet, opus habuit capti in flumine Tigridis piscis fel adhibere. Tu etiam cæce, & vitijs, atq; peccatis inueterate Peccator vt collustrêre ac conualescas, amaro illo felle exigui piscis IESV Christi, qui in flumine Tigri sacræ Passionis mortuus est, opus habes. Ideoque te hortor, vt si conualescere cupias, ad vulnera illa & sanguinem, qui in cruce pro te perfusus est, recurras. Confer te ad clauos, ad flagella, ad ignominias, quibus IESVS tuus affectus est: ad tormenta illa & supplicia, quæ pertulit: ad pœnas quas per-
pessus

pessus est: ad sputus, ad colaphos, ad opprobria, ad coronam illam, ad sitim, ad illa maledicta & blasphemias. Breuiter, vt ex valetudine vestra, Fratres, conualescatis, vtque Diaboli societatem relinquatis, necesse est vos proximè accedatis Crucifixum. Quoniam Apostolus, *Qui autem*, inquit, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, cum vitijs & concupiscentijs.* Quid multa? opus est, vt cogitationibus nostris, in immensam abyssum passionis IESV nos demittamus, consideremusque illum nihil pro nobis non esse perpessum: eiusque totius rei peccata nostra causam fuisse. Denique, vt resipiscamus, & vitam commutemus, cùm nullum aliud remedium pro nobis inueniatur. Dominus nos illuminet. Amen. *Gal. 5.*



ALIA DAMNO, QVAE anima ex peccato accipit.

CAPVT VIII.

Eph. 5. *SVrge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* inquit S. Apostolus. Agite, nunc iterum ad hanc sancti Apostoli sententiam animum attẽdite: siquidem plura damna maximè notanda, quę vestris animis peccata inferunt, cognoscere postulatis. Tria speciatim damna, quæ peccatum parit, hoc loco demonstrat Apostolus. PRIMVM est, quod animam consopit, ne benè recteq; operari possit: ideoque *Surge*, inquit, *qui dormis*, ALTERVM est, quòd eam occidit: eaque re, *& exurge*, inquit, *à mortuis*, TERTIVM est, quòd occæcat illam: quare, *& illuminabit*, inquit, *te Christus*: O Consopiti Peccatores, quàm verum est, vos dormire!
Ion. 3. *Et Ionas descendit ad interiora nauis,*

& dor-

& dormiebat sopore graui. inquit Scriptura. Non percipiebat maris fremitum, non concussum fluctuum, non ventorum impetum: neque naufragiũ, nec periculum, in quo versabatur, aduertebat: nec voces aut lamentationes miserorum nautarum audiebat, nec experrectus fuisset, nisi nauis praefectus accedens, ipsum concussisset atque agitasset, *Quid*, inquiens; *tu sopore deprimeris? surge, & inuoca* Deum *tuum, si fortè recogitet* Deus *de nobis, & non pereamus.* Heu peccator, quo modo descendisti ad interiora nauis sanctae Ecclesiae, vt qui ibi iaceas in vitijs consoporatus: nec aduertas, miser, afflictam Ecclesiae nauem propter tua, aliorumque scelera, in periculo submersionis esse, vndique agitatam ventis, & crudelissimorum hostium furijs. Surge, infelix, dico ego, non nauis praefectus, sed pauperculus quispiam, tuus frater, qui tuae, omniumque peccatorum salutis desiderio motus, propter amorem eius, qui erga me tanta misericordia vsus est, vt me è somno excita- *Ion. 3.*

 uerit,

uerit, in quo iacebam (siquidem in tua societate longo tempore versatus sum) tibi dico: Quid tu sopore deprimeris? Ne diutius dormias: expergiscere, O miser. Nunc tempus est, posthac quæ tibi euentura sint, tecum reputare, & auxilium ac misericordiam diuinam implorare: *Si fortè recogitet de nobis, & non pereamus*, &c. Surge cum Dauid Propheta dicens: *Illumina oculos*
Psal. 12. *meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus: praualui aduersus eum.* Sunt qui in peccatis stertunt: sunt qui leuiter in eodem dormiunt. Qui stertunt ij sunt, qui assiduè in peccatis mortalibus versantur: quia quemadmodum is, qui stertit, idem diu dormit, neque vel tantillum expergiscitur: sic illi faciunt. Hi verò leuiter dormitant, qui modò prolabuntur, modò è peccatis se rursum erigunt: velut is, qui leniter dormit, qui sæpenumerò expergiscitur. Et hoc malum leuius est; tametsi interdum ijs accidat idem, quod dormitantibus: quos, postquàm aliquantisper dormitarunt, longissimus nonnunquam somnus comple-

plectitur. Dominus vos illuminet, vt ne dormiatis, neve dormitetis in morte peccati, quemadmodum hactenus fecistis, Amen.

Prosequitur Apostolus, *Et exurge*, inquiens, *a mortuis*. En aliud dānum maius, quo peccatum animam afficit. Nam postquàm anima aliquandiu in vitijs obdormiuit, effectaque est in benè faciendo negligentior, ita consopitur, vt mortuæ similis videatur. Enimverò quemadmodum corpus absq; anima mortuum est, sic anima mortua est sine Deo. Siquidem veluti anima vita est corporis, sic Deus est vita animæ. Et quemadmodum corpus moritur, dum separatur ab anima, sic anima moritur, cùm seiungitur à Deo. Illud etiam certum habetote, nullum cadauer tantoperè in hominum naribus fœtere, quātoperè anima in peccatis emortua, fœtet in naribus Dei. In promptu exemplum est in Vitis SS. Patrum, de Angelo, qui Anachoreten illum comitabatur, vt eum diuinorum iudiciorum redderet capacem. Hi cùm in itinere cadauer aliquod offendissent, Angelus

præteriens, nullam speciem sentientis malum odorem præbebat. Verùm cùm aliquantum progressi, Adolescentem quempiam egregiè vestitum, & odoramenta redolentem obuiam haberent, Angelus subitò nares obturauit, quod admiratus Anachoreta, causam cur nares obturasset, rogabat, prætereunte Adolescente, optimè vestito & suauè olente, cùm antè fœtidum corpus prætergressus non idem fecisset. Quia, inquit Angelus, hic Adolescens peccatorum refertus, quàm putre corpus fœtet grauiùs. *Iam fœtet.* dicit Martha de fratre suo Lazaro. O mi frater peccator, vt in naribus Dei & Angelorum, omniumque sanctorum sanctarumque Paradisi, fœtes!

Ioan. 12.

Et illuminabit te Christus. En alium affectum maximum, quem peccatum gignit in anima, quam occæcat. O peccatores cæci, qui clarissimam diuinæ gratiæ lucem non cernitis.

Act. 9.

Et ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ & visum recepit, inquit S. Lu-

S. Lucas in actis Apostolicis, loquens de Saulo, qui persequebatur IESVM Christum.

O peccator persecutor IESV Christi, vtinam videres quàm crassis & ingentibus squamis oculos obtectos haberes, quæ te excæcant. *Oculos suos statuerunt declinare in terram*, inquit psalmus. Peccatores cum Diabolo pactum inierunt, vt oculos suos perpetuò humi defixos teneant. Heu cæci peccatores, vt vestros oculos misericors ille Iesus illuminaret, voluit suos per derisum obuelari atque obligari. Heu quàm cæcus es ambitiose, qui tenuissimum mundanæ & vanæ gloriæ fumum tanti æstimas. Quàm cæcus es, Auare, cui tam pauxillum terræ aureæ & argenteæ, thesaurus aliquis incomparabilis apparet! Quàm cæcus es, libidinose, cui fętidū cadauer res tā pretiosa videtur! Quàm cęcus es, intēperans, cui parum stercoris tam dulcè sapit! Heu cuncti peccatores, quàm cæci estis, qui vestrum damnum non sentitis necpercipitis!

Psal. 16.

O mi IESV, illumina, obſecro, cæcos hos peccatores: fac vt errorem, in quo verſantur, animaduertant, vt reſipiſcant, & ad te dulcem vitæ fontem reuertantur, Amen.



QVOD ANIMA PER *peccatum amicitiam Dei amittat.*

CAPVT IX.

Greg. *SI conſideremus, fratres chariſſimi, quæ & quanta ſunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vileſcunt animo omnia, quæ habentur in terris*, inquit S. Gregorius. Ego verò in præſentia de ſumma iactura, quam anima per peccatum in futura vita facit, nolo quicquam dicere, pòſt per aliam occaſionem de illa dicturus. Illud nunc referam, quid quantumque anima in hac

Sap. 1. Vita, per peccatum, amittat. *In maleuolam animam non intrabit ſapientia.* inquit Scriptura. En primam iacturam, quam facit anima, quæ non

eſt

est capax sapientiæ, hoc est, sapidæ scientiæ. Nam licet peccator præstanti quadam scientia præditus sit: tamen suauissimo scripturarum sapore priuatus est: quia nunquam dulcedinem earum gustat. Sed hoc nihil est ad id quod amittit. Anima per peccatum amiciciam Dei amittit, quæ res est longè pretiosissima. Ideoque sapientiores estote, O peccatores, atque cognoscite, quantam rem perdatis. Audite me obsecro.

Quoties anima peccati expers est, amica est, & familiaris Dei: quantoque est in illius cultum, laudem & honorem intentior, tantò amicitiæ eius Deo gratior est. Hinc factum est, vt magni illi sanctique viri, dum in mundo vixerunt, amici DEI sint appellati. *Loquebatur autem Dominus ad Moysen, facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* inquit Scriptura. Et IESVS Christus dicit suis discipulis, *Iam non dicam vos seruos quia seruus nescit quid faciat Dominus eius: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota* Exod. 33. Ioan. 15.

 feci

Ibid. *feci vobis.* & alibi. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Vide igitur quo pacto anima Dei amica fiat, sanctæ eius Voluntati parendo, sanctisque eiusdem præceptis obseruandis, & quicquid ab eo mandatum est exequẽdo. Nunc facere illud, peccator renuit, vt qui facere velit semper, cõtra quàm à Deo illi præcipitur. Nam si Deus ei
Exo. 20. dicit: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*: ille vult blasphemare.
Deut. 5. si Deus dicit: *Obserua Diem Sabbathi,*
Exo. 20. *vt sanctifices eum*; Ille laborare vult
Deut. diebus festis. Si Deus dicit: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam*: ille
Exo. 20. eosdem vult dehonorare. Si dicit Deus: *Non furtum facies, nõ occides, non mœchaberis*, ille cupit & furari, & occidere, & stuprare. Itaque hinc capitalis quædam inimicitia inter Animam &
Isa. 59. Deum nascitur. *Iniquitates vestræ, diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.* O quanta est jactura, quam facis infelix anima peccando, vt quæ amicitiam DEI amittas. Putas forsitan amici-

etiam hominis cuiusdam abiecti aut mortalis Principis amitti. Amittitur amicitia Dei omnipotentis, Dei Opt. Max. Creatoris & conseruatoris omnium rerum, inuisibilium iuxtà atque visibilium. O miser anima, si hanc tam ingentem iacturam considerares, quid esset, quod in peccato te posset retinere? & quâ ratione non compedes, non catenas perfringeres, quantumuis mille catenis illi alligatus esses arctissimè? Heu quod damnum, quam iacturam, miseri peccatores facitis, cùm amicitiam & familiaritatem Dei tàm amantis & benigni amittitis!

S. Propheta Dauid considerans duntaxat, se interesse non posse templi solemnitati, lachrymans & lamentabundus, *Fuerunt*, inquit, *mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: vbi est* DEVS *tuus? Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te* DEVS. *Sitiuit anima mea, ad* DEVM *fontem viuum, quando veniam, & apparebo,* *Psal. 41*

Psal. 5. *rebo ante faciem Dei? Ne proijcias me*
Psal. 10. *à facie tua. Non auertas faciem tuam*
Exo. 33. *à me*, inquit idem Propheta alibi. *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo; ostende mihi faciem tuam*, inquit Moyses Deo.

Atque hoc illud est, in summa, quò tanto studio omnes sancti contendebant, vt Dei scilicet amici essent. Verùm enimverò, quæ res alias finis est, aut centrum, aut quies animæ nostræ, nisi Deus? Quemadmodum enim ignis naturâ suâ sursum fertur, & quemadmodum lapis & quicquid graue est, naturaliter labitur deorsum, ita anima ad Deum attollitur. Et quemadmodum aquæ in Mare concurrunt, ita anima nostra accurrit ad Deum. Iam verò ab hoc suo naturali cursu, ab hoc centro, & fine suo, per peccatum anima impeditur.

O Peccatores igitur inimici Dei, vbi eritis securi? quò fugietis? quò vos à
Psal. 138. Deo vestro abdetis? *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Ec-*
Gen. 4. *ce eijcis me hodie à facie terræ, & à fa-*

cie

Sie tua abscondar (inquit Cain Deo) *Igitur omnis, qui inuenerit me, occidet me.*

Horrendum est, incidere in manus Dei viuentis, inquit S. Apostolus. Quin igitur timetis peccatores, cùm vester inimicus sit tàm potens? Væ nobis, nisi, cùm tàm potens sit, non etiam clemens esset. Nunc igitur redite ad illum fratres, qui vos adeò benignus expectat. *Humiliamini igitur sub potenti manu* DEI. vt vos exaltet in tempore visitationis. Redite nunc cum illo in gratiam & amicitiam, vt, cùm inuisum vos venerit in mortis momento, ne cum execrandis Dæmonibus in infernum condemnet: sed per misericordiam vos extollat in Cœlum, Amen. Pet. 5.

(:)

QVOD



QVOD ANIMA PER peccatum diuinâ gratiâ excidat.

CAPVT X.

Psal. 83. *GRatiam & gloriam dabit Dominus.* Vt paucis rem comprehendam: Dominus is est, qui in hac vita dat gratiam, & in altera gloriam. Vos verò tantisper dum in hoc mundo viuitis in peccato mortali, gratia eius priuati estis: & in peccatis morientes, gloria quoque priuabimini: quod absit. Quin potiùs conuertite vos & viuite. *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccatoris impij, sed vt conuertatur impius* Ezech. 33. *à via sua, & viuat.* Idcirco, fratres, magnā illam iacturam, quam diuinæ gratiæ amissione facitis, considerate. Verùm, vt ingentem hanc iacturam vestram, quam non intelligitis, edoceam, peto à vobis, vt quod iam dicturus sum, attentè audiatis legatisque.

Superiùs dixi, quemadmodum peccator amicitiam Dei amittat, nunc quemadmodum eiusdem gratiam amittat edisseram: quæ gratia est velut inter animam & Deum, intermedia res aliqua, vt eam amicam gratamque ipsi efficiat. Nihil est enim aliud Dei gratia, quam ornamentum quoddam, & vestis spiritalis animæ, per quam illa in oculis DEI efficitur gratiosa & pulchra.

Formosa Hester, cùm adire voluit Regem, maritum suum, locutura cum eo, dicit sacra Scriptura, quod *circundata est gloria sua*, vt eò gratiosior formosiorque coram Rege, sponso suo appareret. Anima quoque, vt diuinis oculis sit grata, necesse est, ornata sit illâ gratiâ, seu gratiæ illo ornamento. Verùm antequàm, quid hæc gratia sit, dicam, opus est de diuisione loqui, quã omnes afferunt Doctores: dicentes gratiam esse bipertitam. Altera gratia gratis data, altera gratum faciens appellatur. Gratiæ gratis datæ sunt, gratiæ ac peculiaria dona, quæ hominibus impertiuntur: de quibus Hest. 15.

bus loquitur Apostolus, quando, *Sed, inquit, vnusquisq; proprium do-*
1. Cor. 7. *num habet ex Deo, alius quidem sic, a-*
lius verò sic. & alibi fusius. *Alij qui-*
1. Cor. 10. *dem*, inquit, *per Spiritum datur sermo*
sapientiæ, alij autem sermo scientiæ se-
cundum eundem spiritum, alteri fides
in eodem spiritu, alij gratia sanitatum
in vno spiritu, alij operatio virtutum, a-
lij Prophetia, alij discretio spirituum, a-
lij genera linguarum, alij interpretatio
sermonum. Hæc autem omnia operatur
vnus atq; idem Spiritus, diuidens sin-
gulis prout vult. Gratia gratum fa-
ciens, quæ, veluti verba sonant, gra-
tum efficit, est spiritualis quædam qua-
litas, à Deo solo creata, dataque animę,
quam omnem replet: seu quæ primò
naturam animæ irrigare incipit, quem-
admodum subtilissimus Doctor dicit.
Deinde in eius vires ac facultates re-
dundat: seu quæ principiò influit in fa-
cultates, indeque ad irrigandam animę
essentiam descendit, quemadmodum
loquitur Doctor Angelicus. Nihil atti-
net hac de re disputare. Satis est illud

vos


vos tenere solùm, vt sciatis, quid peccato vestro amittatis. Nunc gratia Dei hoc modo intellecta, est certa spiritalis qualitas, creata, data, atque infusa animæ, quæ naturâ ac specie suâ peccato mortali opponitur, eò quòd gratia & mortale peccatum simul nullo modo esse possunt. Mortale dixi. Nam gratia cùm peccato veniali constare potest, vereque constat, adeo, vt licet anima quæpiam mille peccatis venialibus esset obstricta, dummodò nulla adessent mortalia: gratiam tamen & amicitiam Dei obtineret. Verum quidem est, quòd cùm adsunt, amorem illum & amicitiam, quæ inter Deum animamque intercedit, tepidiorem frigidioremque reddunt, ne videlicet anima eo, quo par est amoris feruore in Deum, amicum suum feratur, neque eius honorem ac gloriam, quo decet, studio & solicitudine quærat: Verùm cùm primùm adest vnum tantùm peccatum mortale, gratia continuò in illa anima esse desinit: itaque anima inimica fit Dei, redditurque in ipsius oculis fœda, odiosa & fastidiosa. Videte nunc fratres pecca-

cato-

catores, quàm ingens sit hæc iactura: cernite quid amittatis. Aduertite in quo statu & conditione versemini, cùm in odio apud Deum sitis. Aliud est Principis alicuius terreni gratia esse destitutum, seu apud mundi Principem esse in odio: aliud autem priuatum esse gratiâ Dei, atque apud hunc esse in odio. Mundus tamen amens & vecors, hoc despiciens, videtur nihil gratiam illam æstimare. O insipiens, O stulte, O cæce, O vesane Munde, qui papiliones consectaris, & muscarum ac culicum aculeos extimescis: iram verò & furorem DEI nihil perhorrescere videris.

Peccatores fratres timete DEVM, timete, fratres peccatores, recordantes IESVM Christum suo ipsius ore dicere: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* (*Matt. 10.*) Christus Iesus Dominus noster, pro sua sancta misericordia dare vobis sanctum sui timorem dignetur. Hic enim verè principium est & origo om-

omnium bonorum nostrorum. *Beatus homo, qui semper est pauidus*, inquit sapiens. *Initium sapientiæ timor Domini*, inquit psalmus. Da nobis igitur dulcissime Iesu, tui hunc sanctum timorem, adeoque nos in fornace sancti tui & diuini amoris accende, Amen. Prou. 28. Psal. 110.



CONTRA ANImam, *simul atq; peccat, formidabilem sententiam proferri.*

CAPVT XI.

Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Heu peccatores quàm horrendus est tertiæ huius tubæ sonus! Videtur reliquarum communium tubarum sonum imitari, quæ ad extremum ruptum quendam, fractumque & terribilem sonũ relinquere solent. O quàm horrendus est auditu, & formidabilis hic sonus: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur!* O péccatores, audite, *Anima quæ peccauerit ipsa morietur*, Ezech. 18.

O sen-

O ſententiam terribilem ! Quis verò eam profert? Ipſa ſacra Scriptura, veritatis magiſtra, ſub perſona DEI Patris, Filij & Spiritus ſancti, vnius ſolius Dei in tribus perſonis. Atque vt huius tubæ ſonum commodiùs percipiatis, illud audite: (O rem horrendam) ſimul ac peccatum mortale committitis, in Cœli conſiſtorio, ore ſanctiſſimæ ſemperque ac ſummè venerandæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, ſententia in hęc verba profertur. Hæc anima ſit execrata, cõdemnata, morti adiudicata, & omni prouocatione ademptâ excommunicata, vt in ſempiternis Inferni flammis perpetuò verſetur, in conſortio innumerabilium tenebricoſorum, & ſceleratiſſimorum tenebroſi & obſcuri Inferni Diabolorum, omni ſpe & facultate illinc exeundi ſublatâ, ſi in hoc ſtatu citra pœnitentiam, contritionem & (dummodò poſſit,) confeſſionem morietur. Et iam tunc detur in manus carnificum Diabolorum, qui eam excrucient, torqueantque in igne diuerſis tormentis in ſæcula ſæculorum. O ſen-

ten-

tentiam terribilem, & formidabilem quidem illam, sed æquissimam simul & iustissimam!

Sed audite ampliùs, peccatores: ad quoduis peccatum mortale, quod cõmittitis, eandem sententiam contra animas vestras denuò pronunciari, in eodem Cælo, ab eodem Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto, in præsentia Mariæ Virginis, totiusque cœlestis aulæ: Omnes item Angelos, Sanctos & Sanctas Paradisi, vt diuinæ se voluntati conforment, respondere Amen.

Verùm fratres, imitamini me, ad Deum reuertentes: nec diffidite, aut dubitate quicquam de diuina misericordia: Nam licet decies millies Inferno per sententiam adiudicati essetis: tamen, quoad (vti dixi) viuitis, tempus mutandæ sententiæ habetis. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor,* inquit Deus per os Sancti Prophetæ Ezechielis. Ezech, 18.
Scit Deus sententiam mutare suam,

modò tu, Frater peccator, ſcias mutare viuendi inſtitutum.

Duarum rerum, Peccatores, Deus non recordatur, peccatorum ſcilicet, & bonorum operum. Fecerit benè aliquis triginta, aut quadraginta annos, ſummoque feruore Deo ſeruierit, tandem verò peccet, & ab illa recta viuendi ratione excidat, Deus illorum rectè-factorum non recordatur, ſed ſi in illo ſtatu morietur, ipſum in infernum ablegabit.

Alius contrà quiſpiam quadraginta aut quinquaginta annos in ſceleribus vixerit, quorum ad extremum ipſum pœniteat, ſeſeque conuertat, & ſubmiſsè veniam petat. Deus tum illorum peccatorum obliuiſcitur: & ſi in eo ſtatu morietur, ſaluus erit.

Illud ingentem terrorem, timorem, & pauorem bonis incutere; hoc magnam Peccatoribus fiduciam debet afferre. Ideoque vos Peccatores fratres, oro, perque Dei bonitatem teſtor, vt peccatum relinquatis, & ad Deum illum tam bonum reuertamini: neu ipſius miſericordia abuti velitis: ſed ob tan-

tantam eius benignitatem gratias agere, vt qui hucusque tanto tempore vestram resipiscentiam expectauerit, quique, quotiescunque ad eum, vti decet, reuerti constitueritis, semper paratus sit benignè vos recipere *Dixi Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*, inquit Propheta. *Psal. 31.*

Quis igitur est Fratres, qui tanta Dei benignitate velit abuti? Ne fiat, ne fiat, id ampliùs, per Crucifixi Iesu viscera. Reuertimini ad Deum tam amantem, qui vos non solum expectat: sed compellat etiam, vt vobis condonet, atque à Peccato, Diabolo & morte liberet. Heu quid stulti agitis? quid longiùs differtis? Faxit Iesus Christus, vt ad vosmetipsos redeatis, siquidem vestri ipsorum compotes non estis.



HOMINEM POSSE *in peccatum prolabi: non tamen inde suis viribus posse exurgere.*

CAPVT XII.

Ioan. 15. Ioan. 6. SINE me nihil potestis facere, inquit Dominus noster. & alibi. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ideoque clamabat sponsa: *Trahe me post te.* Nunc igitur vide, Peccator, quo te malo peccatum afficiat, cùm cadendi facultatem habeas, tibique liberum sit peccatum committere, aut non committere: verùm prolapsus resurgere nequeas, diuinaque gratiâ sit opus. Aduerte igitur quàm te cautum esse oporteat, & quantâ diligentiâ prouidendum sit, ne prolabare. &c.

Cant. 1.

Dic quæso, miser Peccator, si in ea conditione (quod ad corpus attinet) versarere, vt ingrediens statim prolabereris, prolapsus verò ipse te erigere non

non posses, dic, inquam, quàm cautè ingredi studeres, quantam diligentiam adhiberes in benè figendis pedibus, ne caderes? & si semel prolapsus esses, videresque citra alienam opem temet humi tollere non posse, quàm diligenter asinum imitaturus esses, qui vbi ad eum locum redit, vbi casu aliquo semel impegit ac cecidit, difficulter & magno cum labore illàc præteragitur: sæpeque opus est fustem benè magnum eius tergore confringere. O peccator, quin tu eodem modo facis? Quoties, quæso infelix, cecidisti, & eodem tamen redis? Aduerte insane, quòd quando prolapsus es, tollere teipse citra diuinam gratiam non possis. At inquies, Deus me iuuabit. Sperandum quidem tibi est, & licet fiduciam in auxilio Dei collocare: sed cum isthâc fiduciâ peccare non oportet, quâ re summâ Deus tam bonus iniuria afficitur. Enimverò quis te certum reddidit, efficax Dei auxilium præstò tibi fore? Potest hoc ille facere, aut omittere, prout illi visum fuerit. Sed forsitan non faciet: ideoque opus est cautè prudenterque vitam in-

ſtituas, atque à maleficijs abſtineas. Adhæc cùm tibi Deus toties opem tulerit, teque ſubleuauerit: tu verò in ſceleribus permaneas, eodemq́ue relabaris, fieri deinde poteſt, vt te deſerat & relinquat. Prætereà, vti ſuperiùs à me dictum eſt, quotieſcunq́ue ſententia illa de damnatione tua, ceu fulmen quoddam in Cęlo profertur, nunquam ſecurus es, (niſi Deus hoc tibi alijsve patefecerit) ſententiam illam eſſe mutatam. Cur igitur continenter peccare ſtudes, & diuinam bonitatem prouocare? Deſine Frater per viuum illum ſanguinem, quem pro nobis Ieſus Chriſtus Dominus noſter in cruce profudit. Frater deſine peccare: illud enim tibi affirmo, te quandiu in peccatis verſaris, in Inferni præcipitio & prolapſu hærere. Aduerte, infelix, ſi in periculo eſſes in lacum, aut in mare, aut in præcipitium aliquod, aut in fauces feræ cuiuſdam beſtiæ, ſerpentis, aut Draconis prolabendi, quanto ſtudio caueres ne caderes? Infernum autem nihil curare videris.



QVEMADMODVM bona opera in peccatis facta perierint.

CAPVT XIII.

QVid? annon aduertis, miser, omnia tua benè rectéque facta perijsse? Hoc solum, si vel tantillùm ad id cogitationem tuam referre velles, satis esse oportebat, vt vitam tuam moresque mutares & corrigeres.

Intellige quantus sit amor erga nos, & benignitas Dei Domini nostri. Constituit nobis pro re quantulacunque & quamuis exigua, modò à nobis in illius gratiam facta sit, dare Paradisum. Pro vno ieiunio, pro vna corporis domiturę, pro vna Eleemosyna, pro vno esse eius amore donato, pro vna corporis inflexione in honorem eius facta, pro solo eo, si reuerenter dicatur IESVS, vult nobis dare coelum. Age nunc considera, quòd, quandiu in peccato versaris, quicquid

facias boni, nihil tibi imputatur ad vitam æternam consequendam. Eaque re fit, vt quicquid benè facias, id omne pereat; licet solus tantam pœnitentiam ageres, toties abstinentiam seruares, quoties vniuersus orbis: licet omnes facultates elargirêre: semper in precationibus versarêre: quicquid denique fieri ac dici posset, faceres, nihil tamen prodesset ad vitam sempiternam, dum viuis in peccato mortali.

Prosũt quidẽ tibi bona illa opera ad alias res: puta ad sanitatẽ, diuitias, bona tẽporalia in hoc mũdo consequẽda, q̃a; *Nullum malum impunitum, & nullum bonum irremuneratum* Deus pro ingenti sua bonitate & iustitia dimittit. Quapropter non ideò à rectè faciendo absistere debes in posterum, licet peccato mortali obnoxius: quoniam præterquàm, quòd ad id, quod dixi, conducit, possit quoque ad id conferre, vt relinquendis vitijs & peccatis aptiorem te reddas: vtque DEVS cognitionem simul & pœnitudinem peccatorum tuorum propter bona illa opera tibi largiatur: tametsi, (vt dixi) ad obti-

obtinendum Paradiſum nihil valeant.


Hicquoque te rationem quandam agendi docebo: vt, etiamſi peccato mortali ſis obnoxius, Deus tamen tua opera bona ad vitam æternam acceptet, quæ ratio mirifica eſt, quamque cupio diligenter notes, & aduertas. Cum aut Eleemoſynam daturus, aut ieiunaturus, ſacrum auditurus aut concionem, aut vnumquoduis bonum opus facturus es, obnoxius peccato mortali, ſi tùm nullum confitendi ſpatium habeas, volo, vt eâ, quâ par eſt, peccatorum tuorum pœnitudine capiaris, cum firmo propoſito à peccatis deinceps abſtinendi, eaque debito tempore confitendi, ſuſcepto denique totius vitæ tuæ mutandæ conſilio. Quâ re ita factâ, opera tua grata Deo acceptaque erunt, tibique in æternam vitam reſeruabuntur. Sin verò non ita egeris, ſed lethali crimini manſeris obnoxius, nihil eſt, quòd ſperes te cœli vnquam potiturum, ob quæuis rectè facta, etiam innumerabilia.

Hicquoque nonnihil tibi dicturus

ſum, quo falluntur non pauci, qui arbitrantur & credunt, opera illa bona, quæ, dum peccatis ſunt obſtricti, faciunt, modò peccata confiteantur, inq; gratiam redeant, ſibi rurſum cedere; atque ita ſibi ob illa ad Paradiſum aditum patere putant: quod eſt longè falſiſſimum.

Vt verò hanc mentem & ſententiam rectè intelligas, ſcire te velim, peccator, operum noſtrorum tria eſſe genera, veluti omnes Doctores aſſerunt. Opera viua, opera mortua, & opera mortificata. Opera viua ſunt illa, quæ in gratia Dei fiunt: atque hæc ad æternam vitam valent. Opera mortua illa appellantur, quæ in peccatis fiunt, quæ planè mortua ſunt, nec vnquam vitâ digna ſunt ſempiternâ. Opera mortificata ſunt illa, quæ quis in gratia fecit, verum vbi poſteà peccat, ita opera illa mortificat, & obtegit, vt ſi peccatis obſtrictus moriatur, hæc opera, quæ antè viuida erant, pereant: eò quòd per peccatum vis eorum debilitata ſit adeoque extincta. Iam verò mortificata iſthæc opera, vbi deinde in gratiam redieris,

dieris, priſtinam ſuam naturam recipiunt, & mortificatione illâ remotâ, denuò viua fiunt, non ſecùs atque antè fuerunt. Illa verò, quæ in peccatis facta ſunt, quòd nihil vigoris ac viuacitatis habuerunt, ſed ſemper mortua fuerunt, tametſi in gratiam redeas, nihil tamen conferunt: niſi fiat, quemadmodum ſuperiùs eſt explicatum. Ieſus Chriſtus horrendum terribilis huius tubæ ſonitum in veſtras aures imprimat.



QVARTA TVBA.

DE DAMNO, QVO PECcatum in morte peccatorem afficit.

CAPVT XIV.

ET *quartus Angelus tubâ cecinit.* Venite nunc peccatores, ad quartæ tubæ ſonitum percipiendum: atque aduertite, quàm terribilis ſit & formidabilis. Heu miſeri, atque cæci, diligenter vobiſcum reputate, vobis tandem ſemel eſſe moriendum. *Apoc. 8.*

Gen. 3. *Puluis es & in puluerem reuerteris.* inquit Deus Patri nostro Adamo, cùm ipsum admissi sceleris pœniteret. *Inuidiâ autem Diaboli mors intrauit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*, inquit Scriptura. *Statutum est*, inquit Apostolus, *hominibus semel mori.*

Heu peccatores, quâ, quæso, ratione tam proni ad peccandum potestis esse, quoties de moriendi necessitate cogitatis? Heu peccatrices, quæ lupanaria consectamini, ex corporibusque vestris Diaboli retia, ad capiendas, & in Infernum detrahendas animas facitis, qui fieri potest, vt cogitantes vobis esse moriendum, à tanto maleficio non desistatis?

O Mors quid agis, quòd cogitatione tui peccatores non perterrefacias? Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouißima tua & in æternum non peccabis*, inquit Sapiens. Quæ verò nouissima atque vltima sint, scitisne peccatores? Mors, Iudicium, Inferni, pœnæ,

næ, & Paradiſus. De alijs dicemus poſteriùs, nunc de morte perſequar.

O fœlicem animam, quæ de mortis hora, eiuſque formidine ſæpenumerò cogitat. *Mors eſt vltimum terribilium*, inquit Philoſophus: hoc eſt: nulla res formidabilior fingi aut excogitari poteſt morte. Tu tamen nihil hac de re cogitas? tu continenter peccare ſtudes? tu cum impijs & ſceleratis *Coronemus nos*, inquit, *roſis, antequàm marceſcant. Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*, Sap. 2.
Siccine decem, viginti, triginta, adeoque ſexaginta annos vitam agis turpiſſimam atque miſerrimam?

Verum dic, rogo, peccator, quid inde? tandem tibi moriendum eſt. Quid inde? tandem vita tua ad metam decurret. Quid inde? tandem poſtremus dierum tuorum illuceſcet. Quid inde? tandem tibi volenti, nolenti è vita exeundum eſt. Quid inde? tandem omnes deliciæ, laſciuiæ, oblectamenta, & voluptates tibi ſunt relinquendæ.

Finem, inquam, gloria tua capiet,

forma tua & pulchritudo euanescet, caro marcescet, stercus fiet & putredo tuum istud simulacrum & idolum. Morieris, dirumperis, & è præsenti vita migrabis. Exibit tandem misera illa tua, & fortassis execrata anima, ex fœdo & fœtido corpore tuo. Quando autem? quando minus hac de re cogitabis. Quando autem? quando minimè omnium eris præparatus. Quando autem? quando à Diabolo tot scelerum tuorum funibus & catenis arctissimè eris
Psal. 118. constrictus. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*, inquit Propheta,
Eccl. 9. peccatoris personam gerens. *Nescit homo finem suum*, inquit Ecclesiastes. *Sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò superuenerit.*

Heu miser peccator, percipe huius canoræ tubæ sonum. Moriendum est tibi, peccator; Tu peccatrix dirumperis. Quando autem? tempus tibi incertum est. Quando autem? tempus tibi ignotum est. Quando autem? tempus tibi est absconditum. Quando autem? tem-

tempus soli Deo notum est. Quādo denique? quando minimè opinaberis. *Nihil certius morte, & nihil incertius horâ mortis*, inquit S. Bernardus. S. Bern.
Hoc anno, hoc mense, hac hebdomade, hoc die, horâ, momento mori & dirumpi posses. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Infernum descendunt*. Iob. 21.
Indulgent homines genio, ludunt, iocantur, rident, & momentum intra moriuntur, in Infernum abeuntes. *Cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient*, inquit S. Apostolus. 1. Thess. 5.

(∵)





DE EXTREMO ET mortifero morbo, cùm vitâ desperatâ nullus ampliùs remedij locus est.

CAPVT XV.

Psal. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea*, inquit Propheta. Age paulisper considera, peccator, paulò antequàm misera anima ex immundo & fœtido corpore tuo emigrabit, te morbo laboraturum: nisi subitâ morte occidas, quod Deus auertat & prohibeat. *A subitanea & improuisa morte libera nos Domine*, docet nos sancta Ecclesia sæpè repetere.

Dic, quæso, quis tibi certum promisit, te intereà dum comedis, exanimem non corruiturum? Quis te securum reddidit, ne mortuus procumbas, in o-

re bo-

rebolum, in manibus cyathum adhuc dum habens? Quis te pro certo habere iussit, te non diruptum iri, intereà dum in summo delectationum & voluptatum tuarum gradu versaris. Heu miseri atque infœlices peccatores, aduertite animum, quid agatis. Respicite finem, qui certò aduentabit, sed quando, ignoratis.

Esto, Deus summè benignus, clemens & misericors ex tuis commeritis non sit tecum acturus, nec subitâ aut repēti, sed communi morte te sublaturus, quid facies tandem, vbi postremum vitæ tuæ nuncium, qui morbus erit vulgaris quidem ille, sed mortiferus & repens, nec opinatò aspexeris, etiam tum formâ, ætate, robore ac fortitudine præpollens?

Considera, infœlix, te ex nec opinato vehementissimâ febre correptum iri, quæ caloris & frigoris vicissitudine efficiet, vt dentes modò frigore cōcrepent, modò vt calore & æstu tantùm non exurâre, summo cum stomachi & capitis dolore: modò vt cor tuū ingrato tibi tremat ac palpitet; nunc vt om-

omnia ossa, omnes nerui, omnes denique iuncturæ suis compagibus mouentur & conquatientur: nunc vt somnus & appetitus pereat. Denique nullam neque noctù, neque interdiù quietis tibi partem relinquet.

Quid tùm miser, peccatis onuste facies, qui intra tot annos nunquam confessus es? Qui tanto tempore cum inimico tuo inimicitias exercuisti? Qui instar Sardanapali cuiusdam omnem fere vitam traduxisti? Denique qui omni turpissimorum & fœdissimorum vitiorum cœno oblitum te vides?

Dic, quæso, quanta erit illa acerbitas, quantus cruciatus, quem tùm peccata tua tibi sunt allatura? quanti dolores quibus animam tuam afficient iniuriæ, quas tot annis Deo intulisti? Dic, obsecro, vter dolor erit grauior, malorumne ac miseriarum, an vero peccatorum? Nam cùm metuere incipies, ne moriaris, & propter scelera tua condemneris, quis tandem illo animo tuo cruciatus erit? Ier. 5. *Indurauerunt facies suas supra petram, noluerunt*

runt reuerti , inquit Ieremias: Reuertimini peccatores & peccatrices, reuertimini extemplò ad Deum. Conuertite vos: nolite expectare, dum vltima hora & postremus ille nuncius aduenìat, qui væ vobis denunciabit. Res vestra agitur, agitur res vestra. Consulite rebus vestris ac prouidete. Ne calamitosum illud tempus expectate.

Quid tùm inceptabitis? num confessuri estis? At quis securos vos reddidit, Deum vobis gratiam daturum opemq; laturum, quò isthuc facere possetis, cùm præsertim ipsum, per omnem vestram vitam tantoperè offenderitis? Atqui vt Deus, quæ eius est misericordia, opem tulerit, vobis tamen tot peccatorum meminisse, quàm laboriosum erit? Quo pacto tot offensas, quibus Deum vestrum tot annis offendistis, in memoriam reducere poteritis? cùm tot doloribus circumuenti, febre oppressi, & mali grauitate mente capti eritis? Denique quâ ratione vobis exploratũ esse potest, vos, vti decet, posse confiteri, verbaque effingere, quando siti exarefacti, & morbo debilitati eritis?

Heu

Heu cæci & miſeri, cur rebus iam veſtris non conſulitis? Cur flagitioſam vitam non relinquitis? Cur Deum veſtrum offendere non deſinitis? Cur tot iniuriarum, quibus tot annis illum affeciſtis, finem non facitis? Cur non exclamatis. *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam?* Si nunc clamatis, iuuari poteritis: quod tum fortaſſe non accidet. Tum enim timore, nunc amore miſericordiam imploratis. Tum vos peccata non deſeretis, ſed peccata deſerent vos. Quocircà fratres mei peccatores, & ſorores peccatrices, nunc miſericordiam implorate, nunc clamate, nunc tot erratorum & ſcelerum veſtrorum veniam efflagitate. *Conuertimini ad Dominum Deum* Ioel. 2. *veſtrum, in toto corde veſtro, quia benignus & miſericors eſt, & multa miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitiam. Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & non pereatis?*

Agite dum reuertimini, fratres & ſoro-

sorores, ad Deum, Patrem & Creatorem vestrum, cum prodigo filio dicentes: *Pater peccaui in Cælum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.* Quod si feceritis, ille, *misericordiâ motus accurret, & cadet super colla vestra,* vosque humanissimè complexus, omnes iniurias sibi illatas, vobis condonabit. Nam, *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est, quoniam puluis sumus.* DEVS noster nil, nisi clementia & bonitas est. *Misericordiâ Domini plena est terra,* inquit Propheta. *Et misericordiæ eius non est numerus. Et misericordiæ eius non est finis.* Clamate igitur peccatores, & peccatrices in hæc verba: Tribue, Deus, misericordiam, tribue veniam, fer auxilium, atque subsidium, & nobis indulge, Amen. Singuli quoq; cum Propheta orent: *Miserere mei Deus, miserere mei, quia in te confidit anima mea.*

Luc. 15.

Psal. 102.

Psal. 32.

DE



DE ANIMAE SEPARATIONE à Deo, in mortis momento.

CAPVT XVI.

Esa. 95. *INiquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum*, inquit S. Scriptura. Considera, nunc obfirmate peccator, ad extremum mortis momẽtum tibi esse accedendum, Perpende tibi veniendum esse ad horrendam illam & terribilem metam, quando anima tua à corpore separabitur. Heu miseriã & calamitatem, quid tum inceptabis? quid dices, vbi ipse impedire non poteris, quò minùs anima abscedat? Non poteris animam tuam detinere quin à corpore seiungatur ac distrahatur: ac te inuito sese exoluat. Velis, nolis, spiritus tuus à carne separabitur: qui vtinã à Deo non seiungatur. Heu anima misera; quid facies, cùm te à corpore pariter atque à Deo dirimi videbis? O acer-

bis-

bissimam animæ à corpore, ô longè acerbiorem eiusdem à DEO separationem! Quid verò te, miser, fore arbitraris, cùm te à DEO & Creatore tuo videbis separatum. Heu calamitosa anima, perpende, quàm seuerum de te in morte futurum sit iudicium. Quod considerans S. Apostolus. *Omnes*, inquit, *nos manifestari oportet, ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Tum omnium factorum, omnium etiam minimarum actionum, omnium verborum inanium, omnium vanarum cogitationum, quæ tibi vnquam in mentem venerunt, ratio erit reddenda. Tum non modò amissi: sed malè impensi quoque temporis rationem reddere necesse habebis. Tum intelliges quantoperè vtile animæ tuæ fuisset, sequutum fuisse consilium Sapientis, qui, *Fili*, inquit, *conserua tempus, & declina à malo.*

2. Cor. 5.

Eccl. 4.

O miferam humanam naturam, quæ non fecùs ad mortem, quàm flumina ad mare, decurrit! *Omnes morimur, & quasi aqua delabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Redi igitur paulifper ad te ipfum, & confidera, non tuorum tantùm maleficiorum reddendam effe rationem: fed alienorum etiam, quæ aut tuâ culpâ, aut tuo confenfu, aut tuo confilio facta funt, feu quòd non eadem quo minùs fierent, vti oportet impediueris, modò id facere potueris. Tum non excufabis te, neque cum Caino dices: *Nunquid cuftos fratris mei fum ego?* Nam verè. *Et mandauit illis vnicuiq; de proximo fuo.* Vigilans igitur efto, peccator, feuerè enim negotium in momento mortis tranfigetur. Quàm benè tum cognofces, in quanto vitio fit, iocis & facetijs, etiam ad rifum & citra proximi offenfionem abuti? Quam benè difces, quid fit, Miffis, cæterifque diuinis Cæremonijs negligenter intereffe, fefeque in templo incompofitum gerere? Si quoduis peccatum, quamuis exiguum,

2. Reg. 14.

Gen. 4.

Sap. 17.

gnũ, propter obiectum qui est offensus Deus, maximum est, ergo minima quoque iniuria, quæ Deo, qui infinitus est, infertur, summa euadit.

Nunc igitur peccator, considera quam peruersè facias, cùm oculos tuos in Deum tuum non perpetuò defixos tenes, cauens, in re vel minima eundem offendas: quandoquidem res minimæ, per magnæ sunt: vt illud interim taceam, è leuibus, facilem esse ad grauiora prolapsum, quemadmodum dicit Scriptura: *Qui spernit modica, paulatim decidit.* Eccl. 19. Quàm rectè Salomon, cùm inquit: *Stultorum infinitus est numerus?* Eccl. 10. proptereà quòd omnis peccator stultus est, qui obleuissimam & breuissimam voluptatem, infinitum bonum, quod nunquam deficit aut imminuitur, amittere nihil dubitat. O peccatores, redite ad vos ipsos, vitam Dei timore agentes, qui vos creauit. Hæc enim vera est sapientia, veraque prudentia. *Initium sapientiæ timor Domini*, Psal. 110. inquit Propheta in psalmo.

Redi parumper ad te ipſum pecca-tor,& conſidera,quem dolorem perce-pturus ſis, cùm anima tua à carne, cui tanto amore coniuncta eſt, diſcedere, eamque inuitam deſerere incipiet. *Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit*, inquit Apoſtolus: ſed amat eã amore vehementiſsimo & naturali. Vnde Philoſophus natiuum hũc amorem animæ intuitus, dixit: *Mors eſt vltimum terribilium.* Nunc peccator, conſidera, quòd iſthic terror te inuaſurus ſit, quodque rem tàm formidabilem experiri te certiſsimè oporteat, cùm temporis & horæ ſis incertiſsimus.

Eph. 5.

O Tuba mea, intende atque auge ſonitum, vt in extremis terræ oris & regionibus exaudiâre. Reſona Tuba, vt ſonus tuus ipſas ignotorum habitatorum ſubterraneas ſpecus penetret, huc illucque permeet, omnia littora peruolitet, colles & montes exuperet, auribus deniq́ue miſeri peccatoris inſonet, vt ſeipſum noſcat, noſcenſque ad ſe ipſum redeat, & ſummum damnum, quod peccatum eius animæ in morte af-

affert, videat, illud fugiat atque horreat de consilio Sapientis, qui, *Quasi à facie colubri*, inquit, *fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum.* O fratres peccatores, per intima cordis benedicti IESV penetralia vos oro obtestorque, vt ne surdam aspidem imitemini: quæ, ne incantatoris vocem audiat, ambas aures obthurat: alteram caudâ obtegendo, alteram in terram obuertendo. Ne idem vos facite: sed per animæ vestræ salutem vos oro, vt apertis auribus canoræ huius tubæ meæ sonum, ad salutem vestram percipiatis, Amen. Eccl. 21

(∴)





DE TERRORE, QVEM *dæmones in mortis momento incutient.*

CAPVT XVII.

Psal. 108. DRaco iste, *quem formasti ad illudendum ei*, inquit Propheta. Vtinam ingentem illum terrorem, quem fœdissimus Cacodæmonum aspectus tibi afferet, perpenderes. Vtinam animo comprehendere posses, quàm horrendum sit, Diabolum intueri: certus sum te à maleficijs abstenturum, si non metu Dei, formidine tamen Diabolorum. Nam si tantum terroris incutit, Lupi, Vrsi, Leonis, Draconis, Serpentis, aut fœdi alicuius bufonis aspectus, vt tantoperè exhorrescamus, quid Cacodæmonum in mortis momento aspectus faciet? Heu vecordes miserique peccatores, si de perhorrendis illis formis, quibus se Dæmones iam iam morituris ostendunt, cogitaretis, certum habeo vos peccatum fugituros. Nam si intereà dum sanitate, robore & forti-

tudine vales, Dæmonum aliquis, figurâ truculenti cuiusdam animalis appareret, non posses non cohorrescere: quid fiet, infœlix, quando morbo debilitatus & oppressus, nec tui ipsius compos, omnibus viribus destitutus eris? cùm neque te ipsum mouere, nec quicquam iuuare poteris? cùm vix loqui aut linguam mouere poteris? cùm vix signis ac nutibus, quæ necessaria erunt, petere poteris? cùm sensus audiendi & videndi, aut amissus, aut debilitatus erit? Denique cùm omnibus viribus eris defectus, nec in tua ipsius potestate?

Quid? si intereà dum robore, viribus, ingenio, atque intelligentia vteris, Dæmonum conspectum, non truculentissimorum, sed ne vulgarium quidem atq; innoxiorum animalium, vt ouis, asini, capri, equi, canis aut felis figurâ ferre possis: quid fiet, cùm Diabolum non tantùm figurâ truculentissimarum bestiarum, sed specie longè magis horrescendâ iam moriturus intueberis? Heu miser homo, quò te tum vertes? Pater noster S. Franciscus, so-

fitus erat dicere, fieri non poſſe, quin, ſi quis Diabolum ſuâ ipſius formâ, vel tantillo ſpacio, quo Precatio Dominica, aut angelica Salutatio pronunciari poſſet, etiam tùm ſanus aſpiceret, continuò moreretur. Quid te igitur peccator, iam morituro fiet, cùm Diabolum horrendâ illâ & truculentâ ſpecie intueberis?

Cogita peccator, de hac ratione, & relictis vitijs nunc expaueſce, vt poſteà non neceſſe habeas experiri, cùm nihil tibi quicquam proderit. Conſidera, non vnum modò Diabolum tibi moriēti, ſed complures apparituros: quorum alius erit alio deformior: ſinguli verò geſtibus atque actionibus quibuſdam turpiſſimis te perterrere conabũtur. Dic, rogo, quis tum opem tibi feret? Num Maria, quam blaſphemaſti? num Ieſus, cui maledixiſti? num Sācti, quos dehonoraſti? num Deus deniq́ue, quem contempſiſti? Heu miſer, vnde ſubſidium ſperabis? quis tibi ſubueniet aut opitulabitur? quem Sanctum appellabis? *Ad aliquem Sanctum*, inquit Iob. 5. Iob, *conuertere*. Tu verò ad quemnam

nam confugies? quem inuocabis? *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*, inquit Propheta.

Heu miser, vix loqui poteris, ac Deo te commendare. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*. Nemo pro te quisquam deprecabitur. Heu quod aquarum diluuium, est illud diluuium mortis, quando neque ingemiscere, neque Deo te poteris commendare! quando non poteris Mariam virginem inuocare! quando neque Angeli tui Custodis neque reliquorum Sanctorum cuiusquam, quem præcipuâ quadam religione, cùm valebas, coluisti, in mentem tibi veniet, vt eorum auxilium implores. *Psal. 32.*

Heu peccator, & peccatrix, nunc ad DEVM vestrum reuertimini: nunc dulcem vestrum IESVM compellate: nunc Virginem Matrem vestram salutate. Nunc tempus est Angelum Michaelem, Gabrielem,

Raphaelem, Angelum Custodem, omnesque cælestes Spiritus implorare. Nunc tempus est auxilij petendi à S. Ioanne Baptista, S. Petro, S. Paulo, S. Ioanne, S. Bartholomæo, cæterisque Apostolis omnibus. Nunc tempus implorandæ opis S. Stephani, S. Laurentij, omniumque reliquorum Martyrum. Nunc tempus est, vt te commendes S. Benedicto, S. Dominico, S. Francisco, cæterisque Confessoribus omnibus. Nunc denique tempus est sæpenumerò implorare auxilium S. M. Magdalenæ, illius quondam peccatricis. S. Ceciliæ, S. Catharinæ, S. Agnetis, S. Vrsulæ, reliquarumque omnium Sanctarum.

Nunquamne te legisse aut audiuisse meministi, quàm sæpè Dæmones ægrotis in ipsorum cubiculis se ostēderint, intereà dum illi in lectis collocati extrema iam suspiria ederunt, atque animam exhalarunt? Nunc quidem porcorum, nunc felium, nunc canum, nunc aliâ atque aliâ truculentissimarum beluarum figurâ ac specie, intereà dum ægroti nihil se ipsi iuuare potuerunt?

Heu miser & infœlix peccator, quātoperè vicem tuam doleo, quòd vitam ita traducens obscuram, per viam tenebrosam tàm miserè & irreuocabilis ad Inferni præcipitium contendis! Considera, quòd, vbi eò loci deveneris, nemò te possit iuuare. Non pater, non mater, non propinqui, amici, non vxor, liberi, non medici, non quisquam eorum, qui te circumstabunt, vlla in re tibi poterit commodare. Solus Deus te iuuare poterit, sola MARIA, eiusque solus Filius IESVS, soli Angeli, soli Sanctæque Paradisi, tibi in extremis illis angustijs poterunt subuenire.

Cur igitur nūc eos offendis? cur eos dehonoras? cur in Sāctos Dei maledictis inueheris? Cur Deū tuum blasphemas? Cur IESVM tuum eiusque matrē MARIAM dehonoras? Quin te nunc illis commendas? quin Deum eiusque matrem cum omni cœlesti curia blasphemare desistis? quin flagitijs relictis, viuendi rationem commutas? Num fortè arbitraris te perpetuò victurum? te immortalem? te ipsi morti esse terrori? putasne mortem eam, quæ non omnes

tantùm homines interemit, sed ipsum
Deum sustulit, tibi condonaturam?
Heu falleris miser. Quid sacra Scrip-
tura dicat ignoras? *Statutum est ho-*
Heb. 9. *minibus semel mori. Mihi heri, & tibi*
hodie. inquiunt singuli, qui quoti-
diè moriuntur.

Redi igitur ad te, peccator, vsus cõ-
silio S. Scripturæ, quæ, *In omnibus,*
Eccl. 7. inquit, *memorare nouissima tua, & in*
æternum non peccabis. Audi nunc
Sanctæ huius Tubæ Sonitum: neque lu-
dus tibi sit, si posteà moriturus
ipsos Dæmonas cupis ludifica-
ri. *In nomine tuo spernemus insurgen-*
Psal. 34. *tes in vos,* inquit Propheta: qui idem
Dei tui personam gerens. *super aspi-*
dem, inquit *& basiliscum ambulabis,*
& conculcabis leonem & draconem.
Quia Angelis suis Deus mandauit de
te, vt custodiant te in omnibus vijs
tuis.

Tres sunt, peccator, viæ, in quibus te
Angeli custodiunt. PRIMA est, quan-
do conciperis, & nasceris. Hic enim
perpetuæ Angelo tuo Custodi curæ es.

SE-



SECVNDA via est, ab ortu tuo ad interitum vsque. TERTIA est, à morte ad vitam consequentem DEVS in omnibus hisce vijs te custodiat, Amen.



DE TERRIBILI IVdicis aspectu in morte.

CAPVT XVIII.

HEu quantoperè miser & scelerose peccator, pertimescas necesse est, vbi cogitas tibi iam emortuo Dei iratum vultum esse aspiciendum, quem placidum etiam & serenum Sancti viri non sustinent intueri? *Non enim videbit me homo & viuet.* inquit Deus Moysi. *Loquere tu nobis, & audiemus, & non loquatur nobis Dominus, ne morte moriamur.* dicebant filij Israel Moysi. Exod. 20.

S. Petrus, qui Christũ tã charũ habuit, & ab eo vicissim habebatur, vt suã illi Ecclesiã gubernandã tradiderit, & voluerit vt eo, ceu fundamento niteretur,

Matt. 16. (*Et ego dico tibi, quia tu es Petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*) Hic, inquam, cùm quodam tempore Christum coràm videret, exterritus & tremens: *Exi à me*, inquit, *quia homo peccator sum Domine. Stupor enim circumdederat eum*, vt memorat S. Euangelium. Tu verò quid ages, cùm sub mortem tuam, ipsum illum IESVM tibi obiratum, vultu eius diuinæ iustitiæ igne prorsùs ardente aspicies? Heu miser, quid tum te futurum est? quò te abdes: quò fugies?

Psal. 142. *Non intres in Iudicium cum seruo tuo*. clamat Propheta, gerens personam animæ cùm morte luctantis.

Iob. 9. Audi sanctissimum Iobum, quid de præsentia iudicis dicat: *Vere scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus Deo. si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Deus cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur, qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? In turbine conteret me, &* mul-

multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa, Attamen Iob tantâ vitæ erat integritate & sanctitate, vt Deus ipse de illo loquens dixerit: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus ac timens Deum, & recedens à malo.* Et capite eodem Deus cum Diabolo de Iobo colloquens dixit: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra? homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Et paulo inferiùs hæc verba subiungit. *Et adhuc retinens innocentiam.* Iob.1.

Manum tuam longè fac à me, clamat idem Iob. Annon S. Paulus quoque: *Horrendum est*, inquit, *incidere in manus Dei viuentis?* Heu quàm formidabile est sub mortem in manus iustissimi Iudicis incidere! Res sanè horrenda videretur, si quis immanissimarum beluarum libidini obijceretur: terribile quoque foret, si quis serpentum, Vrsorum, draconum, leonum, aut Iob.1.

his etiam magis ferarum bestiarum multitudine circumueniretur: verùm omnes isti terrores, qui ex rebus creatis oriuntur, si cum terrore, quem sub mortem formidabilis obirati iudicis vultus animæ incutiet, comparetur, nihil est.

O anima misera, tui te ipsius misereat. De rebus tuis cogita: quid tibi ad extremum euenturum sit, considera:
Eccl. 5. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*, inquit Sapiens, tui commonendi gratiâ. *Quæ enim videntur temporalia sunt*, inquit S. Apostolus. Heu quantoperè tibi metuendum est, in vltimo vitæ tuæ actu, cùm iam inibi eris, vt anima se exoluat, & fragilibus istis exuuijs exuat, seq; terribili obirati Iudicis conspectui sistat!

Compellabit te, improbe peccator, Iudex in hæc verba. *Redde rationem villicationis tuæ*, Redde, inquiet Iudex Christus tibi indignatus, redde actæ tuæ vitæ rationem: redde rationem animæ, quam formosam à me & mundam accepisti, vt eam conseruares: quamque originali peccato commaculatam,

latam, pretiosissimo sanguine meo ablui. Redde rationem intellectus, memoriæ, voluntatis, quam à me accepisti. Siquidem intellectum à me habuisti, vt me cognosceres: voluntatem, vt me amares: memoriam, vt perpetuò mei recordarêre. Tu vero has facultates, quibus DEO similis es (*Faciamus hominem, ad imaginem & similitudinem nostram*) has inquam facultates rebus humanis & terrenis occupasti, proptereà quod de illis assiduè cogitasti, eas amasti: denique memoriam ijs repleuisti. *Gen. 1.*

Haccine reddis Domino, popule stulte & insipiens? nunquid non ipse est pater tuus, qui fecit & creauit, & possedit te? Plora nunc, peccator: tempus enim veniet, cùm te non plorasse pœnitebit. Ne obliuiscere nunc DEI: erit enim tempus, cùm omnia facta dicta, consilia tua in memoriam reducentur. Nunc operam da, vt DEVM tuum ames, veluti ipse his verbis præcepit: *Diliges Dominum DEVM tuum, & proximum tuum, sicut te ipsum.* *Deut. 32.* *Matt. 22.*

Omi-

O miseros mortales, qui tàm inconsi-
Iob.7. deratè ad mortem accurrunt. *Dies mei velociùs transierunt, quàm à texẽte tela succiditur, & consumptus sum, absq; vlla spe.* inquit Iob.

Fer, obsecro, opem Domine: nostra mala, & miserias miserere: erratis nostris veniam tribue. Recordare te nostrum esse Patrem. Ne nostram ingratitudinem, sed tuam misericordiam re-
Psal.24. spice. *Respice in me, & miserere mei, quoniam vnicus & pauper sum ego*, inquit Propheta tuus. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me.*

O MARIA, mater indulgentissimi IESV, à quo iudicandus sum, ora pro me, proque omnibus peccatoribus, vt in hoc mundo actiones nostras ita instituamus, itaque vitæ nostræ rationem ad sanctam eius legem dirigamus, vt non seuerum & iratum, sed placidum & amabilem vultum nobis ostendat.

O MARIA sint tibi curæ miseræ peccatorum animæ. Ne nos desere dul-
cis-

cissima MARIA, Tu nostra es Regina, nostra Domina, nostra Patrona & Mater. *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege & hora mortis suscipe*, orat S. Ecclesia.

Per amorem benedictæ animæ charissimi tui Filij, perque amorem animæ tuæ purissimæ, oro, vt mea, omniumque hominum, qui sunt atque erunt in mundo, animæ tibi curæ sint. Per pretiosum Filij tui sanguinem, miserere animarum. Recordare Maria, te nostrã esse matrem, animasque nostras pretiosissimo Filij tui IESV sanguine esse redemptas.

O IESV, tu nobis iam adesto, ne quid committamus, vt nobis post mortem obiratus tuus vultus sit aspiciundus.

O IESV noster pater, O MARIA nostra mater, facite vt vestri filij simus: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum: recordatus est quoniam puluis*

su-

sumus. Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri, sic efflorebit.

Faxit diuina Maiestas, vt mores nostros emendemus, vitamque cum sancto numinis metu ac reuerentia transigamus, ne post mortem nobis in iratum eius vultum sit prodeundum: vtque ingentem illum terrorem, qui terram simul & cœlum complet, euitare queamus.



DE MORSV CONSCIentiæ, quæ terribilem in modum morientem peccatorem vexabit.

CAPVT XIX.

Amos. 5 *QVomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus, & ingrediatur domum, & innitatur manu suâ super parietem & mordeat eum coluber.* En pulcherrimam similitudinem, quā Amos Propheta ad rem aptam ponit. Idem tibi morienti accidet, quod accideret

deret ei, qui Leonis impetum declinans, in vrsum incideret. Vrsum verò fugiens, domumque ingressus & parieti incumbens, à serpente morderetur. Heu miser, quid igitur sub mortem facies? quò fugies? quò te vertes? vndique imminebunt pericula: ex omni parte aderunt, qui te infestabunt: nullum locum inuenies, quò te possis abdere. Vndique enim angore circumuenieris. Si leonis iram fugere volueris, vrso te obijcies, sin autem vrsi euitandi gratiâ, domum aufugeris, à serpente mordebere. Quid vero aliud leo significat, quàm IESVM CHRISTVM iudicem iratum? *Vicit Leo de tribu Iuda.* Quid aliud Vrsus indicat, nisi Diabolum? Quid denique serpens aliud, quàm conscientiam demonstrat? Cerne igitur, miser, quid morituro tibi sit euenturum. Cupies leonem, hoc est, contra te exacerbati IESV conspectum fugere; verum vrsus, hoc est, Diabolus tum se feret obuium, qui te perterrebit, variaque teterrimarum figurarum formidine diuexabit. Quod si autem intra *Apoc. 5.*

temet ipſum te occulere volueris, & domum tuam ingredi, ſerpentem conſcientiæ, qui nullam tibi quietem relinquet, offendes. Tum vis & morſus conſcientiæ, omnia ſcelera & flagitia, quæ toto vitæ tuæ curſu cogitaſti, dixiſti, feciſti, non tantùm ſub aſpectu ponet, ſed augebit eadem, & quàm reuerâ ſunt, efficiet grauiora. Neque ſolùm, quicquid perperàm cogitaſti, dixiſti, aut feciſti tibi ingeret: ſed etiam quicquid boni rectique non cogitaſti, non dixiſti, neque feciſti, repræſentabit. Tum, peccator, mordebit te ſerpens conſcientiæ, omnium ſcelerum te arguendo, Infernumque & mortem ſempiternam comminando. Tum vermem, ſeu potius venenoſum ſerpentem ſenties, qui te non tantùm malorum dictorum, factorum, & conſiliorum accuſabit, sed etiam quòd nihil boni in mentem tibi vnquam venerit. Heu miſera anima, in qua tum conditione verſaberis? *Omnes perſecutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias.* Hæc Ieremiæ Prophetæ verba in ſuis lamentationibus veriſſimè in te conuenient,

Tren.

uenient,

uenient, quando iam iam à corpore separaberis. Omnes hostes tui te circumuenient, inq; extremis angoribus versaberis, ab omnibus vndique aduersarijs cinctus, Deo, Diabolo, & conscientia. Diabolus aderit, atque omnia scelera, quæ vnquam seu factis, seu dictis, seu cogitationibus commisisti, commemorabit, ob eaque iustitiam à Iudice flagitabit, & in desperationem adducere te conabitur, suggerens, frustrà te veniam sperare, propterea quod peccata tua non possint vllo modo condonari.

Conscientia ex omni parte te mordebit, Omnia tua scelera memoriæ tuę præsentia erunt, eodem prorsùs modo, quo ea perpetrasti, adeoque longè eadem grauiora tibi ob oculos Diabolus constituet.

Iudex omnium rerum rationem abs te postulabit, dicens. *Redde rationem villicationis tuæ.* Et tum verè cum Propheta clamare ac dicere licebit. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* *Luc. 16.* *Psal. 37.*

Heu

Heu miseri peccatores, quin igitur vos nunc ipsos emendatis? cur miseri, tàm veloces ad peccandum, & vestrum Deum offendendum curritis? num vos semper victuros arbitramini? putatis ne tempus illud fore aliquando, cùm omnium vestrorum maleficiorum rationem accuratissimam estis reddituri? fallitis vos, fallitis infelices.

Emendate vos igitur, fratres mei peccatores: relinquite vitia sorores meæ peccatrices, neu velitis esse, Psal.31. *Sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* sicuti S. Propheta inquit. Heu, cur verba mea non eò vsque ardent, atque inflammata sunt, vt possim his tollere, & omnia peccata è cordibus peccantium hominum exurere?

Ad IESVM, peccatores, ad IESVM accedite. An ignoratis IESVM vestrum esse DEVM, vestrum Creatorem, vestrum Patrem? Nescitis peccatores, benedictum IESVM pro vobis factum esse hominem? pro vobis benedictum suum sanguinem in sancto crucis ligno profudisse? Neque scitis, O peccatores, simul & peccatrices,

ve-

vestrum Iesum amore vestri accensum, omnia pœnarum genera, quæ vnquam possint excogitari, sustinere voluisse morte tam acerbâ, tantisque refertâ doloribus, vestri tantùm amore? amore, inquam, vehementissimo & ex intimis cordis penetralibus profecto? *Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*, inquit S. Apostolus. Ipsum quoque Christum dixisse an ignoratis. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus?* Non venit Iesus propter sanos, sed propter ægrotos. Non venit amantissimus Iesus propter iustos, sed propter iniustos maximè. 1. *Tim.* 1. *Matt.* 9.

Considera, peccator, Iesum tuum esse fratrem. *Vade ad fratres meos.* Recordare, peccatrix, tuum Iesum pro te factum esse hominem. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* *Ioan.* 1.

Num igitur, peccator, in fratrem tuum tam ingratum te præbebis? num ergo peccatrix, fratrem

tuum tantoperè offendes? vestrum igitur fratrem IESVM tantoperè peccatores iuxta ac peccatrices offendetis: Ne quæso, facite: Desinite tandem fratrem vestrum Iesum insectari *Saule,*
Act. 9. *Saule quid me persequeris?* inquit ipse Paulo, qui persequens Ecclesiam, ipsum persequebatur.

Sceleratus Saul Decem annos ipsos Dauidem insectabatur. Vos vero, peccatores, quot annos afflictum IESVM vestrum DEVM, Creatorem, Patrem, fratrem, Amicum tot vestris peccatis persecuti estis? Desinite, tandem miseri: spectate summam illam iniuriam, qua illum afficitis: aduertite ingentem errorem, quem committitis, dum fratrem tam charum, amicum, tam fidelem, Patrem tam amantem, Deum tam bonum, Deum inquam, qui vos creauit, & sanguine suo redemit, offenditis.

O misełli, cernite quanto in errore versemini, eò quòd amicissimum quẽpiam, adeoque Deum ipsum persequimini. Si creaturam aliquam persequeremini, leuius esset malum: at persequi-

mi-

mini DEVM, quod tandem quantum scelus est? *Omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro.* *Matt. 12.*

Si quem de hostibus vestris qui vos persequutus esset, si quem, qui animo in vos iniquo fuisset, de vobisque malè meritus, offenderetis, nonnullam haberetis excusationem: at Deum offendere, qui vos fecit, tantaque in vos confert beneficia, qui vos creauit & redemit, qui vos tuetur & conseruat, qui denique vobis dare vult vitam, eheu quàm peccatum illud ingens est! quàm fœdum facinus & nefarium! quàm intolerabile scelus & execrandum fratres mei? vtpote à quo natura ipsa abhorreat, nec ferre possit.

Vtinam mi[illegible] peccator, indignationem illam vider[illegible], quā in te, quoties Deum tuum offendis, Elementa, Terra,

Aqua, Aer, Ignis, Cœli, Stellæ, Sol, Lunæ commouentur. Vtinam cerneres, quemadmodum ipsa etiam bruta animantia rationis expertia succenseant. Vtinam videres, miser peccator, quemadmodum etiam res sensu carentes, herbæ, plantæ, adeoque ipsa saxa contra te tanquam armata stent, quoties te vident ipsorum Deum & Creatorem offendentem.

Pro certo habe peccator, tibique persuade peccatrix, nisi Deus tuus tam clemens esset ac benignus, postquàm peccasti, terram ipsam dehiscentem, te absorpturam, aquam submersuram, aerem suffocaturum, ignem exusturum, cœlos tonitrua, fulgura, & horrendas tempestates emissuros ad te perimendum.

Heu peccatores, heu peccatrices, illud pro certo habetote, omnia animalia, omnes immanes bestias, omnes serpentes, omnes Dracones, omnes rapaces Volucres, quid multa? omnes arbores, ipsaque saxa sese contra vos obuersura, belloq; illato vos interfectura, si ita illis à Deo suo permissum foret.

Quid

Quid? Annon putas domum illam, in qua Deum tantoperè offendis, extemplo procubituram in ipsa peccandi actione, nisi Deus tuus esset, qui fieri hoc prohiberet? Quid? annon arbitraris lectum, in quo tantoperè Deum offendis corruiturum, nisi à Deo impediretur? Quid? annon existimas panem, illum, quem comedis, cibum quo vesceris, vinum, quod bibis, te præfocaturum, & in venenum conuersum iri, vt tibi mortem afferret, nisi clementia Dei tui & benignitas obstaret? Considera igitur peccator, te, si Deus ita permitteret, non diu fore superstitem, aut victurum, quò ipsum offenderes: propterea quòd vniuersæ Creaturæ aduersus te arma caperent.

Hanc vero vltionem & vindictam ad tempus extremi iudicij reseruat: tametsi interdum per varias creaturas vindictam certorum ac singularium scelerum fieri permiserit, vt reliquis peccatoribus & peccatricibus exemplum statueret. Faxit Deus vt nos omnes quamprimùm emendemus.



DE SEPARATIONE *animæ à corpore, deq́; acerbißimis doloribus, quos inter separandum sentit.*

CAPVT XX.

AGe nunc paulisper considerare aggrediamur, peccator, solicitudines, angores & dolores, quos iam iam moriturus cùm anima à tuo corpore separabitur, senties.

Heu te miserum! si istud tecũ paulisper in animo versares, exploratum habeo, te non omnes voluptates, quas appetit & concupiscit, carni tuæ nunc concessurum.

Considera peccator, Iesum ipsum Ch istum, qui est Deus est, cùm se morti vicinum cerneret, sanguinem exudasse. *Et factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram,* inquit S. Lucas *Tristis est anima mea vsq; ad mor-*

Luc. 22. Matt. 26. Mar. 14.

mortem, inquit alius Euangelista. *Cœpit pauere & tædere*, inquit alius in persona eius.

Heu improbe, scelerate, atque impie peccator, si Deus considerans benedictam suam animam à sanctissimo corpore suo distrahendam & separandam, mortem tantoperè exhorruit, vt pauor atque angor ille ipsam etiam animam inuaserit, quid te fiet?

Considera, quem dolorem duo amici mutuò capiant, cùm alter ab altero seiungitur. Cerne quanta fiat hoc cum molestia: discedunt collachrymantes, ingemiscunt, nec loqui aut se mutuò contueri sustinent.

Heu quàm incomparabilis dolor, & acerbitas est illa, quam anima sentit, dum à corpore & carne sua, qua cum tam arctâ amicitiâ & naturali coniuncta est, separatur.

Heu misera anima, quantus tuus dolor erit? quantam pœnam, quantam ægritudinem senties infelix, cùm ab hac carne tua separabere, quam tantoperè amasti, vt nihil quicquam eorum quæ concupiuit, illi denegaueris.

Eccl. 2. *Et omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis*, inquit Salomon. Heu quantus tibi, infelix anima, cruciatus & pœna erit, cùm ab hac tua carne separaberis, quam tam vnicè amasti, vt illi non potueris in vlla re non obsequi. Eph. 5. *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam*, inquit S. Apostolus.

Adesdum, peccator, atque hoc loco tempus illud considera, quando vincula, quibus anima tua arctissimè corpori copulata est, dissoluenda sunt. Veniet, veniet, ingrate peccator, tempus illud maximè horrendum. Veniet, veniet, inquam miser peccator, illud momentum.

O acerbam separationem! O te beatam animam, si nunc illud expenderes & expendens effrænatis illis carnis tuæ cupiditatibus, quæ te in obscurissimum & tenebrosum infernum attractant, resisteres.

Tui te ipsius peccator, atque animæ Eccl. 30. tuæ misereat, *Miserere animæ tuæ placens Deo*, inquit scriptura *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucre-*

lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? inquit amantissimus Iesus tuus.

Considera igitur, Peccator inique, qui carni isti tuæ indulgere, eamque commiserari non desinis, considera, inquam, quemadmodum ab illa te moriturum separari oporteat.

Considera, quod, vbi iam vitæ tuæ vltimo fini appropinquâueris, in morbum incides, & vehementissimâ pestiferaque febri afflictus, in lecto iacebis, siti excruciatus, omnibusque membris dolore oppressis: cùm neque remedia nec curationes quicquam proderunt: cùm cibum neque sumere, neque retinere poteris. Cùm suauissimus somnus abs te aufugiet. Cùm catarrhorum noxiorumque humorum plenus eris. Cùm expuere nequibis. Cùm nullam quietem inuenies. Cùm res omnes nauseæ tibi erunt, cùm nullum strepitum ferre poteris. Cùm neque vxoris nec liberorum, nec Patris aut Matris, nec charissimorum amicorum verba ac sermones audire

poteris. Cùm ipse tibi displicebis, omnis expers quietis. Cùm audire non poteris, ne res quidem ad salutis tuæ rationem necessarias.

Heu miser peccator, quid tum afflictus & angustijs vndique circumuentus facies? quando verè tibi cum Propheta licet dicere. *Circumdederunt me dolores mortis. Dolores inferni circumdederunt me, & præoccupauerunt me laquei mortis.*

Heu miser peccator, quin ad Deum tuum nūc reuerteris? quin illum offendere desinis? quin vitam nunc tuam emendas, veniâ præteritorum delictorum rogatâ?

Heu peccatores, auscultate nunc Deum vestrum vos ita compellantem: *Conuertimini ad me in toto corde* (Ioel. 2.)
vestro. Conuertimini filij reuertentes. (Iere. 3.)
Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

Iesu mi amantissime, qui propter miseros peccatores venire dignatus es, tantam verbis meis vim tribue, vt ipsimet miseri se noscentes ad te conuertantur.

Iesu mi benedicte, recordare, quàm carè animæ tuæ tibi constent. Recordare, Iesu mi, quanta fueris ob animas, ne perirent, perpessus. Recordare Iesu mi benedicte immensi & ex intimis visceribus profecti amoris, quo animas complecteris: & effice, vt harum mearum, imò tuarum tubarum sonus, omnium miserorum peccatorum corda ad ipsorum salutem penetret.

Eia clementissime IESV, scio quanto amore ad ignominiosum sanctæ Crucis patibulum propter animas tuas abiueris. Ne igitur earum obliuiscere, quæ tanto sanguinis tui pretio redemptæ sunt: eia dulcissime amor IESV.

Ne Iesu mi permitte, vt animæ, quas tam carè redemisti, pereant: ac potius à te subleuentur & iuuentur, vt saluæ fiant. *Erue à framea* DEUS *animam meam, & de manu canis vnicam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* Psal. 20.

Inuoca, paupercula anima, Iesum tuum hisce Prophetæ verbis, spe tuâ in ipso collocatâ: quippe qui nihil aliud ardeat atque desideret, quàm salutem tuam. *Sitio, Sitio*, clamauit ipse in morte. Quod quanquam de corporali siti intelligi possit: maximè tamen de siti spiritali, quæ erat animarum salus, intelligendum est.

Heu ærumnosa anima, vtinam ingentem illum amorem quo te Iesus tuus complectitur, posses perspicere. Vtinam animo comprehendere posses, quo te amore Iesus tuus prosequatur. Vtinam videre posses, magnam illam sitim, quâ afflictus tuus Iesus tuam sitit salutem.

Eia igitur Iesu mi amantissime, qui fit, vt miser Peccator in te Deum suum tam amantem & benignum tam ingratus sit?

Mi Deus, fierine poterit, vt Diabolus vin at?fieri, inquam poterit, vt peccator te semper fugiens, Diabolum hostem tuum infensissimum consectetur?

Heu anima misera, heu indurate pec-

peccator, in morte senties & experiere, quid sibi Diabolus voluerit, tot pollicitationibus te inuitans, vt Deum tuum offenderes, vt Deum tam amantem fugeres, atque eius inimicum tam impium & crudelem consectarêre.

Tum videbis, infelix anima quid te Diabolus facere voluerit, siquidem quando in hisce extremis angustijs versabere, verè dicere poteris: *Angustiæ mihi sunt vndiq;.* Astabit tibi coràm Diabolus cum mille suis perhorrendis socijs, vt animam tuam, simul atque è misero corpore exiuerit, corripiant, eamq; secum in obscurissimum & tenebrosum infernum, in consortium Dæmonum, damnatarumque animarum asportent, vt ibi in perennibus infernalis ignis cruciatibus & tormentis viuat.

Deus vestros, O peccatores, oculos aperiat, vt vestris rebus, quod facilè potestis, consulentes, pœnas illas horrêdas vitare possitis.

Audi nunc peccator, id quod dicturus sum, *Dispone domini tuæ,* *Isa. 38.* *Hebr. 9.*

quia morieris tu, & non viues. Nam *Statutum est hominibus semel mori.* morieris, nec sempiternã vitã viues tẽporalem & corporalem. Faxit Deus, vt spiritalem æternamq; vitam viuamus. Amen.



DE LOCO, QVO Anima à corpore separata auolabit.

CAPVT XXI.

Iob. 21. *TEnent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Age nunc peccator ad considerationem & contemplationem extremi tui status tandem accedamus. Dic, obsecro, quid anima tua, vbi à corpore tuo fuerit separata, futurum est? Quò abibit misera anima, postquàm tuâ istâ carne exoluta fuerit, cui quandiu coniuncta fuit & copulata, tot scelera perpetrauit, tantoperè Deum tuum offendit? vbi cum esset cõ-

clusa tot tamque enormia, & nefaria peccata commisit? Quid fiet, quid tandem fiet vestrâ, O peccatores, animâ, qui tantoperè vos ipsos amatis? qui nihil aliud studetis ac laboratis, quàm vt sensibus vestris & corpusculis placeatis? Audite quid Iob superiùs dixerit.

En, miseri peccatores, vestrum finem, en præmium vestrarum delectationum, en mercedem voluptatum, en finem vestrorum gaudiorum, en terminum omnium vestrorum bonorum. *In puncto autem ad inferna descendunt.* ô malum & tristem vobis nuncium. Nam delectationes vestræ finem habebunt, vestra gaudia erunt completa, vestræ delitiæ terminabuntur, denique status ille vester in mortem commutabitur. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* inquiebant illi, personam omnium peccatorum gerentes. *Venite coronemus nos rosis: nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra:* dicebant alij.

Esai. 22.
Sap. 2.

Heu miſeri peccatores, referte paulisper cogitationes ad temporis illud momentum, cùm anima veſtra ex fœtido iſto corpuſculo exibit. Nam quẽadmodum Iob inquit. *In puncto ad inferna deſcendunt.*

Tria ſunt loca, in quorum vno animam noſtram ſimul atque exoluta, & à corpore, cui erat copulata, ſeparata eſt, verſari neceſſe eſt: Aut in Purgatorio, aut in Inferno, aut in Paradiſo.

Cogita ergo, Peccator te in horum vnum, iuxta merita commeritaue tua, demigraturum. Nam *iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* ideoque omnibus reddet iuxta ipſorum opera. *Et reddet vnicuiq; iuxta opera ſua. Merces mea mecum eſt, reddere vnicuiq; iuxta opera ſua. Et procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala, in reſurrectionem iudicij. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem,* inquit S. Athanaſius.

Pſal. 10. Rom. 1. Apo. 22. D. Athan.

Subſiſte nunc pauliſper, peccator, & cogita, quod quando poſtremo morbo affectus cum ipſe morte luctaberis, vt animam DEO tuo, vnde eandem accepiſti reddas: manus tuæ ſudare, & frigore obtorpeſcere horrore mortis incipient: anima verò, quæ totum illud corpus tuum informabat, ſenſim ac paulatim ex imo recedet, & quandiu in hac lucta verſabere, illa ad cordis partem ſe conferet, vbi ſedem ſuam & domicilium habet. Nam quemadmodum anima primùm omnium cor informauit, ſic idem ab anima poſtremùm deſeretur, iuxta Philoſophos.

Deniq; vbi corpus tuum in eam conditionem deuenerit, vt anima nihil loci ampliùs quò ſe recipiat, inueniat, celeriter aufugiet, & exangue illud cadauer, cum terrore & pauore circumſtantiam relinquet.

Cogita nunc, peccator, ſimul atque inde diſceſſerit, continuò eam corripi, ſeu ab Angelis vt aut illam in Purgatorium comitenter, aut in Paradiſum aſportent: ſeu

ſeu à Diabolis vt eandem in infernum, in planctus, aliaque ſupplicia deferant.

Perpende, miſer peccator, quid animâ tuâ futurum ſit, cùm vnguibus & articulis teterrimorum horrendorumque Dæmonum arripietur, qui eam clamoribus & vlulatibus excruciantes in infernum præcipitabunt.

Heu miſera anima, qualis eſt ſtatus hęc commutatio? vbi nunc verſaris miſera? Viden' nunc infernum eſſe? O maledicte Hæretice, qui Purgatorium negaſti, quid nunc ais cum te vides in miſerrimo ſtatu apud Inferos verſari? Quin potius in Purgatorio ad iudicium vſque, vel ad longiſſimum ſaltem tempus eſſe maluiſti? Quid ais Hebræe, qui ſcripturas habuiſti, quæ veritatem de promiſſo Meſſia te docebant: quod neque videre neque accipere voluiſti? Viden' nunc in hoc ſenſu ſcripturam eſſe veram, non ad pertinaciam tui cerebelli detortam & explicatam? Turca viden' nunc tuæ vanitatem legis? viden' nunc quantus deceptor, quàm mendax, quàm ſceleratus perfidus tuus Mahometes fuerit? O pec-

O peccator, & falſe Chriſtiane viden' nunc, num Deus puniat nec ne? viden' nunc quantopere te fefelleris, cùm tui peccati excuſandi gratiâ, dicebas: Deus eſt miſericors, mihique ignoſcet. Credere nequeo illum animam meam velle perditam, quam tanto pretio pretioſiſſimi ſui ſanguinis redemit. Ante obitum me emendabo. Faciam in poſterum.

Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt. inquit Iobus cum Deo colloquens. Vbi aduerte, peccator, eum non dicere, numerus annorum apud te eſt: nec dicit breues anni hominis ſunt. Sed dicit dies & menſes. Cerne igitur peccator, quam vehementer hallucineris, dum vitam tuam annis metiris, dicens: Tot annis victurus ſum: aſpice eam menſibus & diebus à ſapientiſſimo Iobo computari. *Iob. 17.*

Redite igitur ad vos, decepti, & cogitate de vitæ veſtræ extremo, cogitate, inquam, vos in dies ſingulos, imò in ſingulas horas, imò in momenta ſingula poſſe exanimes concidere. *Vigi-*

late

Mar. 13. *late, nescitis enim quando tempus sit.* inquit Dominus.

Cogita igitur vltimam vitæ tuæ horam & momentum venisse, iamque inibi esse, vt misera tua anima è fœtido tuo corpore discedat: cogita nunc, inquam, paulisper, quò simul primùm emigrauerit, sit abitura.

Perpende ô Homo, te, licet omnium hominum esses sanctissimus, non continuò tamen salutem tuam tibi esse exploratam. Eccl. 9. *Sunt iusti atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.*

Heu noctem illam, cùm miseri peccatoris anima citra scelerum pœnitudinem in manibus mille Diabolorum versabitur in obscurum & tenebrosum Infernum, in contubernium omnium damnatorum atque Diabolorum deportanda, vt ardeat ibi perpetuò.

Misera anima, Quin nihil his de rebus nunc cogitas, ac cogitans tute emẽdas? cur te ab hac carne tua decipi sinis?

Fœlicissima sanè erit illa anima, quæ simul atq; à corpore separata fuerit,

rit, manibus Angelorum apprehensa cum ouatione & cantibus in Paradisum subuehetur. O ingentē fœlicitatem, O beatissimam & fortunatam animam! *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Psal.115.

Perpēde anima hanc solàm esse fœlicitatem, & beatitudinem, quæ Sanctis, eorumq́ue imitatoribus, & qui in hoc mundo innocentiam coluerunt, conuenit. Nam de tuo interitu audi quid dicat psalmus. *Mors peccatorũ pessima.* Psal.33. Age, quibusnam verbis Sãctus Propheta vtitur, cùm dicit: Mors peccatorum pessima? non dicit eam esse malam, sed pessimam, in superlatiuo gradu, quandoquidem tam mala est, vt peior esse nequeat.

Meritò mors tua pessima est, peccator. Nam si citra pœnitentiam morieris, peccato mortali moriens, peccato mortali morieris obnoxius, moriens verò obnoxius peccato mortali, morieris exosus Deo, moriens autem exosus Deo, inimicus Dei es: quâ re nihil grauius aut peius tibi potest accidere. Heu igitur miser peccator impendētes tibi

casus

consilium S. Apostoli Petri, qui *sa-*
2. Pet. 1. *tagite*, inquit, *vt per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.*

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Ad te confugimus pijssima regina, Aduocata, & mater nostra Maria, tuamque sanctam opem, ad extremum illud tam terribile momentum imploramus.

Adiuua nos sancta Mater: tuere nos dulcissima & clementissima Maria. Recordare sanctissima regina Virgo Maria, te esse matrem peccatorum. Ideoque ego omniū improbissimus, omnium sceleratissimus, omnium denique facilè princeps, omnium quoque nomine te compello, à teque pro omnibus auxilium atque opem semper, præcipuè verò in extremum illud tempus, efflagito.

Tuere nos Maria, subueni nobis Maria, auxiliare nobis Maria, ne nos desere Maria. Tu nostra es mater, nos tui fi-

lij : ideoque nos afflicti & misellitibi curæ simus, atque in extremo illo tempore nos defende. Amen.

Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.



DE EXANIMI CORpore & cadauere humano, deq́; miseria eiusdem post animæ separationem.

CAPVT XXII.

ET *factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ, Mortuus est autem & Diues, & sepultus est in Inferno.* Audis nunc peccator, quò mendici Lazari anima asportata, & vbi diuitis Epulonis anima sepulta fuerit? Illa ab An- *Luc.16.*

Angelis in ſinum Abrahæ delata, in locũ quietis & beatitudinis, hæc in horrendo tartaro fuit ſepulta.

Conſidera nunc, idem tibi euenturum, ſi apud Deum in odio conſtitutus moriêre. Verùm ſi pœnæ temporali, quam peccata tua commerentur, nondum ſatisfeceris, in pœnas Purgatorij quoad ſatisfeceris, adducêre. Sin verò in gratia DEI è vita ceſſeris, pœnæque temporali quæ te manebat, ſatisfeceris, ab Angelis in Paradiſum æternùm gauiſurus & diuino aſpectu fruiturus ſubuehêre. Verùm ſi citra peccatorum tuorum pœnitudinem, citra confeſſionem, aut ſaltem citra contritionem, atque voluntatem confitendi, dum illud facere non licet, deceſſeris, tu, hoc eſt anima tua, ſimul atque è corpore tuo exiuerit, ſtatim à mille Diabolis correpta in tenebroſum & obſcuriſſimum infernum detrudetur.

Cogita nunc, miſer & infœlix peccator, & perpende animam tuam iam in alteram vitam emigraſſe: cogita eã iam

iam nunc ſeparatam, & hoc corpuſculo exolutam in debitum ſuum locum ſubitò conceſſiſſe, ſeu in Cœlum, ſeu in Infernum, ſeu in Purgatorium vt excipietur: quod adulta ætate præditis eueniet: aut denique in quartum locum, quem lymbum appellant, deſtinatum infantibus, qui citra baptiſmum fato funguntur.

Denique etiam de miſeria corporis tui cogita, quod ſupererit deſtitutum animâ, vnde pulchritudinem venuſtatem ac vires ſuas habebat: nunc eiuſdem coniunctione priuatum, fœdum fit & pallidum, ſuumque colorem amittit. Perpendite illud fœdum & deforme fieri iam tum cœpiſſe, cùm primùm in morbum incidit, febri alijsque doloribus correptū, ac paulatim deinceps fœdius factum eſſe & deformius.

Cogita illud vſque ad animæ abſceſſum ſudaſſe, oreque ſpumam, catarrhos, fœtidasque pituitas excreaſſe & lachrymans mortuum eſſe. Conſidera, ſub animæ diſceſſum, (id quod multis vſu venit) diſtorſiſſe

oculos, dentibus infrenduiſſe, os torſiſſe, oculos terribiles & toruos remãſiſſe. Perpende horrore mortis doloreq́ue ac metu Diabolorum planè perculſum contremuiſſe, itaq́ue geſtibus & commotionibus concuſſum, vt eos, qui præſentes aderant, perterruerit. Conſidera quemadmodum fœtida excrementa eiecerit, vt eos qui circumſtabant, fœtore infecerit, ſubitoq́ue horrendum fætere inceperit. Cogita quemadmodum totum liuore, nigredine, & pallore deformatum manſerit. *Putredini dixi, Pater meˀ es, mater mea & ſoror mea vermibus.* Heu miſeria humana, quæ nihil aliud ſpectas, niſi vt carunculam iſtam excolas, perpolias, ornes, decores: quæ velis, nolis, comedetur & deuorabitur à vermibus.

Philoſophum quendam accepimus poſt mortem Alexandri Magni ad eius ſepulchrum acceſſiſſe: quo aperto, eundum fœtentem plenumq́ue atq́ue opertum vermibus inueniſſe, duobus ſerpentibus oculos rodentibus: vnde exclamans ille: O Alexander, inquit, quàm

quàm pauculi dies sunt, cùm toto hoc mundo non satiabare, sed innumerabiles eos optabas, vt te omnium dominum rectoremque constitueres: hodiè verò tribus terrę cubitis & exigua tũba contentus es. Heri prædicabaris & circundabaris tanto Assentatorum, & famulorum numero; hodie putredine & vermibus refertus es. Heri adorabaris, & toto orbe colebaris: hodie ab eodem orbe desertus es & relictus. Heri te conquisitissimis epulis explebas: hodie ipse cibus vermium es factus.

O humanam miseriam, quàm ingens es, neque tamẽ agnosceris à quoquam, nec mente aut cogitatione comprehenderis! Heu peccatores & peccatrices, vosque maximè qui sensuum, & carnis vestræ turpitudini dediti estis, ponite ob oculos vltimam vestrorum istorum corpusculorum miseriam. Ite, ac considerate miseriam ac fœditatem reliquorum corporum, & perpendite vestra post mortem iisdem fore similia, adeoque abominandia magis. Videte peccatrices quemadmodum dominæ & heræ moriantur. Videte peccatores

quēadmodū viri moriantur. Cōſiderate idem, adeoq́ue peius vobis euenturum. Videte cùm mulieres viriq́ue ſepeliuntur, peccatores & peccatrices. Aſpicite quales ij ſint, qui iam nunc ſepeliuntur, & quales ij, qui multos ante dies, & exhorreſcite: certi idem, adeoq́ue peius forſàn vobis euenturum.

Olfacite fœtorē eorū, qui iam ſepeliūtur. Aſpicite horrorē hominum aliquantò antè ſepultorum & ſic vobiſcū: Heu me miſeram Franciſcam, heù miſerum Ioannem, O me infælicem Lucretiam, O infœlicem Petrum: en quales nos quoq́ue fieri oporteat.

Audite quid vobis mortuus ille dicat, *Mihi heri, & tibi hodie.* Heu te, qui me aſpicis, dicit mortuus ille, quiſquis illum aſpicit & intuetur. Eodem modo loquitur is, qui in ſepulchrum defertur, & quiſquis intùs eſt quatriduanus & fœtens.

Aſpice, Mulier, mortuæ huius malas contuere os, naſum, guttur. Aſpice pectus, flauos crines de quibus tantoperè, vti

vti nunc tu, gloriabatur, quales facti ſunt.

Aſpice ſuperbe, intemperans, & quiſquis corporis voluptatibus immerſus es, aſpice, atque olfac vt fœteat, grauiterque oleat. Aſpice, & illam fœminam, Laſciue, & num agnoſcas eam videto.

Heu amentes & pertinaces peccatores, quid eſt quod vos poſſit emollire, & obduratum illum animum confringere, ſi non confringit ſola corporum veſtrorum miſeria, eorundemque odoris ac fœtoris teterrimi conſideratio?

Domine iam fœtet, quatriduanus eſt, inquit Martha de mortuo ſuo fratre cum Domino colloquens. Ioan. II. Quis fœtor comparari poterit cum fœtore humani cadaueris, peccator? Quò igitur tanta diligentia, tanta ars, tanta ſeruitus? quò tot ſumptus? quò tot odores, tot vnguenta, & odoramenta? quò tam pretioſæ dapes, & tanta delicati vini profuſio? quò tanta lectorum mollicies? tantus

vestimentorum ornatus? quò tot delectationes, tot deliciæ, tot voluptates?

Psal. 118. *Vidi prauaricantes, & tabescebam, quia non custodierunt legem tuam*, inquit S. Propheta. Heu me peccatores fratres & peccatrices sorores, vos me ingenti dolore contabescere cogitis, dum probrum & ignominiam, qua Deum vestrum afficitis, magnamque animarum vestrarum iacturam cogitatione complector.

Psal. 93. *Vsquequo peccatores, Domine: vsquequò peccatores gloriabuntur? Effa-*
Psal. 67. *buntur & loquentur iniquitatem. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant. Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & dele-*
Psal. 10. *ctentur in lætitia. Contere brachium peccatoris, & maligni, quæretur peccatum illius & non inuenietur*, inquit sanctus Propheta, ductus vehementi studio,

ſtudio, quo in honorem Dei, animarumq́ue ſalutem ferebatur.

Hei Domine, Non ego Dauid ſum, ſed omnium peccatorum improbiſſimus, omnium flagitioſorum flagitioſiſſimus, omnium ſceleratorum ſceleratiſſimus, omnium iniquorum iniquiſſimus, Attamen, Domine Ieſu mi, tanto honoris tui, & fratrum meorum peccatorum ſalutis ſtudio teneor & incitor, vt omnibus cordis mei, ſeu tui potiùs viſceribus tuam miſericordiam pro vniuerſis ac ſingulis implorem his verbis.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione. Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis. Psal. 122. Domine, miſerere noſtri, miſerere omnium noſtrum, tuarum creaturarum, tuorum filiorum, tuorum ſeruorum. Recordare Ieſu mi omnes miſellas peccatrices, tuas eſſe creaturas, tuas filias, tuas famulas. Recordare Ieſu mi omnes peccatores tuos eſſe fratres, filios & ſeruos. Miſe-

rere igitur, Ieſu mi, filiorum, & fratrū tuorum. Miſericordiam tribue filiabus & ſororibus tuis.

Fatemur quidem ab omnibus nobis te offenſum eſſe, ſed omnes emendare nos cupimus. Fatemur, Domine mi Ieſu, ab omnibus nobis tuam amplitudinem & maieſtatem iniuria eſſe affectam. Fatemur à nobis omnibus, à meque maximè & frequentiſſimè omniū tuam benignitatem offenſam. Fatemur denique nos tibi fuiſſe immorigeros Patri humaniſſimo & amantiſſimo: ſed te rogatum volumus, vt ne iniquitates noſtras, ſed ſuauiſſimam tuam & benedictam miſericordiam reſpicias.

Pſal. 112. *Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus homo ſicut fœnum, dies eius tanquam flos agri ſic efflorebit.*

Recordare igitur, Ieſu mi, te noſtrum eſſe patrem, corrige benigneque ac miſericorditer inſtar Patris nos puni, vt nos tanta benignitate & charitate



tate commoti, ad te, ceu boni filij confugiamus, vitijsque relictis tibi seruiamus, & te tanquam humanissimum amantissimumque Patrem amemus, in sæcula sæculorum. Amen.



QVINTA TVBA.

DE DAMNO QVOD peccatum in iudicio affert.

CAPVT XXIII.

ET *quintus Angelus tubâ cecinit*. Huc peccatores, ad horrendum quintæ tubæ sonum audiendum.

Quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus aut colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui & destruet illustratione ad-

vent us sui eum, cuius est aduentus secundùm operationem Sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus: & in omni seductione iniquitatis, ijs qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Audite peccatores, quàm horrendus sit & terribilis huius tubæ sonitus: expauescite, & peccati turpitudinem fugite, cogitantes quàm perniciosum sit, quantaque damna animæ vestræ afferat.

Heu anima infœlix, si detrimenti illius, quod maledictum peccatum tibi affert, magnitudinem considerares, quam diligenter caueres ac prouideres, vt ne in illud incideres, & si fortè gratiâ priuatus eò prolapsus esses, vt inde te expedires.

Si hortore miserandi peccati vis expauescere, peccator, ea tecum perpendito, quæ in ipso iudicij die tibi euentura sunt. Ac primò considera maledictum Antichristum apparere oportere omni vitiorum ac peccatorum genere coopertum, hominem pessimum, Deoque inimicissimum, hominem qui omnes

nes fideles, in Christumque credentes insectabitur, se DEVM esse affirmans.

Ac si particulatim iniqui illius ac maledicti conditiones seu affectiones scire cupis, studiosè diligenterque suprà commemorata S. Apostoli verba considera.

Quoniam nisi venerit discessio primum; Audite peccatores, si peccati turpitudinem intueri cupitis: aduertite benè & notate epitheta, quæ Sanctus Apostolus execrando Antichristo ab ipso suprà dictis verbis designato tribuit.

Nisi venerit discessio primùm, & generalis quædam à diuina lege & sancta fide defectio, nisi reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui se supra verum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum extollit, se Deum esse affirmans. Qui tempore suo patefiet & tunc reuelabitur ille iniquus, qui à Domino nostro Iesu interficietur, Intereà dum ille tanquàm ab ipso Diabolo profectus sese ostentabit cum omni virtute ac potestate edendorum

ſignorum & prodigiorum, plenorum falſitatis, totâ mente in id incumbens vt vniuerſum orbem omni iniquitatis arte decipiat & eludat.

Referte animum fratres, peccatores, ad nomina quæ illi à S. Paulo tribuuntur. *Homo peccati, Filius perditionis, ille iniquus, Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Sathanæ.*

O miſeros & infœlices eos, qui huius tempore erunt ſuperſtites! Multi enim illorum ab ipſo aut decipientur, aut ſuppliciorum ac tormentorum vi ad eius partes ſequendas cogentur. E contrario fœliciſſimos eos, qui benedictum Ieſum ſequentur, ſanctam eius legem omni mentis puritate obſeruantes. Nam licet ab impio illo & iniquo ac diabolico homine varijs ac multiplicibus tormentis & pœnis occiſi & trucidati fuerint: tamen ſalui erunt.

Non vacat, O peccatores improbitati atque impietati Antichriſti enarrandæ immorari: propterea quòd non ſit huius inſtituti mei: ſed hoc innuere volui, vt mali illius, quo per peccatum ani-

animæ afficitur grauitatem conſiderantes, fugere illud & horrere inſtituatis.

Nam quid aliud erit in cauſa, quamobrem Antichriſtus tam iniquus futurus ſit, niſi peccatum? erit enim homo falſiſſimus, operâ Diaboli natus, qui ſanctimoniam præ ſe feret, cùm ſit ſceleratiſſimus. Quid aliud eundem tam immanem & crudelem efficiet, vt omnes qui ſe in CHRISTVM credere profitebuntur, crudeliter inſectaturus ſit, præterquàm peccatum?

Quid aliud erit in cauſa quare tot animæ ab iniquo illo decipiendæ ſint, niſi peccatum? Quocircà S. Apoſtolus, *In omni*, inquit, *ſeductione iniquitatis, ijs qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Ideo immittet illis operationem erroris, vt credant mendacio.*

Quis autem nos ſecuros reddit, maledictum illum noſtris etiam temporibus non venturum? Venturum eſſe Antichriſtum certum eſt, ſed quando, incertum.

Dicite quæso omni vitiorum labe coinquinati peccatores, quid si nunc is veniret, quid facturi essetis? proculdubio vos illi adiungeretis Deo id permittente. Nam cùm charitatem veritatis recipere nolueritis, quam toties audiuistis, & assiduè à concionatoribus qui vos in concionibus ad relinquenda vitia cohortantur, auditis, non modò illud non fecistis, sed etiam risui habuistis. Permissurus esset Deus vos occæcari, & simul primum Homo iste diabolicus & maledictus apparuisset, ad eum vos conferretis, ipsum, auscultantes, ipsi obtemperantes, ipsum adorantes, quicquid denique præciperet exequentes.

Metuite peccatores, exhorrescite, & considerate quid Dauid de deuina maiestate his verbis dicat. *Terribilis in consilijs super filios hominum.* Quàm recondita atque alta sunt diuina iudicia! Beati illi qui totum vitæ suæ cursum cum timore peragunt. *Beatus homo*, inquit Sapiens, *qui semper est pauidus.*

Con-

Confiderate quoque, peccatores, quid de bonis, Deique amore inflammatis S. Propheta dicat: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* tanquam fi dicere voluiffet; Vos qui tota mente Deum colitis, feruite ei omni timore, eumque reueremini: & fi quando animum ad hilaritatem traducere cupitis, trementes ifthuc facitote.

Tu verò fcelerate vir, ac fcelerata mulier, qui Diabolo inferuitis continenter, quique omni fcelerum cœno ac fpurcitiâ immerfi iacetis, quid facietis, qui tam inconfideratè, tam fecurè ac confidenter viuitis? Cogitate miferi & infœlices, diuinam iram ex improuifo, properè, ac fulmine citiùs fuper peccatores nec opinantes venturam.

Heu quot repentè exanimati conciderunt, qui ne hoc quidem proloqui potuere: Iefu adiuua me, & damnati funt? Heu quot per incuriam & fegnitiem perierunt, qui nunquam define falutis ipforum cogitantes, in omni vitiorum

tiorum ac voluptatum genere vixerunt?

1. Tim. 5. *Cùm dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus*, inquit S. Paulus. Ecol. 9. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis repentinus superuenerit interitus.*

Heu igitur fratres peccatores, & sorores peccatrices, ad vos ipsos redeuntes de fine vestro nonnihil cogitate. Expendite, miseri & infoelices vestram vitam, expendite miserias, quæ vobis in inferno comparatæ sunt, sempiternas.

Considerate, perditæ animæ, ad extremam hanc metam venire vos oportere. Considerate oblectationes vestras defecturas, vestras voluptates, vestras delitias finem accepturas, vos dirup-tum iri ac morituros: vestras denique animas distrahendas ac separandas, ab impuris istis fœdisq; ac nauseosis corporibus vestris, Diaboli instrumentis, qui-

quibus tantopere Deum vestrum offendistis.

Ad Christum igitur, peccatores, ad Christum peccatrices accedite. DEVS vos per calamum meum vocat. Per viuum illum Christi sanguinem, O peccatores, per sanguinolenta Christi vulnera O peccatrices per virtutem cordis, perque vim misericordiæ Dei obtestans vos compello & his verbis alloquor.

Venite, peccatores, mors enim aduentat, Iesus verò Christus pro vobis mortuus est. Abstinete à vitijs, mors siquidem expectat, vt vos interficiat. Venite, peccatores ad Christum: nam Diabolus prӕsto est, vt vos in Infernum attrahat. Redite ad Christum, qui vos Tubæ meæ sono vocat, ne vos seueræ atque acerbæ suæ sententiæ sono, terribili Iudicij die condemnare cogatur. Væ vobis, væ inquam vobis, peccatores, siquidem huius tubæ sonum, quo vos diuina misericordia à peccato ad salutem vestram reuocat, contemnitis ac pro nihilo ducitis,

Heu

Heu fratres peccatores, heu peccatrices sorores, quo pacto ad hunc sonum, qui vobis tanta supplicia denunciat, atque à tanto malo retrahit, obsurdescitis atque obdurescitis? Faxit Deus, ne ex eorum sitis numero, de quibus scriptum est. *Obdurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti*, Amen.



DE HORRENDIS SIGnis, quæ ante Iudicium apparebunt, quorum diligenti consideratione non paucæ peccantium hominum animæ, quæ alioqui peribunt, poterunt seruari.

CAPVT XXIV.

Luc. 21. *ERunt Signa in Sole, Luna & stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuū,*

aref-

crescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi, inquit Dominus.

Et dabo prodigia in Cœlo & in terra, sanguinem & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. *Ioel.2.*

O infœlices miseriq́ue peccatores, si animum duntaxat ad res horrendas, tremendaq́ue illa prodigia, quæ instante Iudicio apparebunt, referretis, vix arbitror fieri posse, quin terrore pauoreq́ue, & rerum adeò terribilium consideratione expiraretis.

Quid? cùm videbimus solem obscurum, lunam sanguineam fieri, Stellas offuscatas speciem è Cœlo cadentium præbere, terram moueri ac contremiscere, saxa dirumpi, mare infremere, montes desidere ac procumbere, valles extolli, animalia huc illucq́ue exterrita concursare, volucres clamare, leones rugire, fremere vrsos, vlulare lupos, horrendos leones propter

terræ

terræ motus è latibulis suis prodire, horrendos dracones ac volucres per aera volitare, quis non pauore exanimaretur?

Eheu humanam miseriam quò te redigi oportet? ecquis horror erit, in formidabili Iudicio inuisa, inaudita, nec antè percepta vnquam signa atque prodigia cernere atque audire? *Et erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet.* inquit Dominus apud Matthæum.

Matt, 24.

Non intermittam, O peccatores meis tubis vestris auribus insonare. Sonabo vt vos è somno peccati expergefaciam, cùm ingenti siti qua vestram salutem sitio, tùm amantissimi mei IESV summoperè me incitantis amore compulsus. Væ autem vobis, si quidem ad suum vsque adeò animis vestris salutarem aures obturabitis: contra verò fœlicissimi vos, si aures huic sono præbebitis: vt qui erit sonus pacis & salutis, propter misellas vestras animas emissus.

Multa signa sunt, quæ Iudicij diem antecedent: sed à S. Hieronymo quindecim

decim commemorantur, quæ à se in Hebræorum annalibus reperta asserit.

1. Primum Signum est. Mare altissimos montes quadraginta cubitos transcendet

2. Secundum Signum est. Postero die idem mare in tantam profunditatem subsidet, vt vix videri queat.

3. Tertium Signum erit. Omnes bestiæ, præsertim quæ in mari degunt, congregabuntur, perque lacus & stagna vociferantes vagabuntur.

4. Quartum Signum erit. Mare, cunctæque aquæ ardebunt.

5. Quintum Signum erit. Omnes arbores, herbæque sanguine manabunt.

6. Sextum signum erit. Omnes aereæ volucres congregabuntur, clamorem planctumque edentes, & à cibo potuque abstinentes.

7. Septimum Signum erit Omnes domus atque ædificia, quæ toto orbe continentur, corruent.

8. Octauum Signum erit. Fulmina atque igneæ sagittæ ab Occidente Orientem versus prouolabunt, Cœlo minantes, totique orbi pauorem incutientes.

9. Nonum Signum erit. Saxa inter se confligent, mutuoque conflictu dirumpentur.

10. Decimum Signum erit. Per vniuersum orbem horribiles terræmotus exorientur adeò, vt nec homines nec bruta animantia pedibus possint insistere, sed humi procidant.

11. Vndecimum Signum erit. Omnes montes in puluerem redigentur, omnisque terra exæquabitur.

12. Duodecimum signum erit. Prodibunt omnes ex cauernis, & lymphati acque amentes vagabuntur, nec mutuò colloquentur.

13. Decimum tertium signum erit. Vbique gentium sepulchra aperientur, omniumque mortuorum ossa super sepulchra stabunt.

14. Decimum quartum signum erit. Stellæ è Cœlo cadent.

15. Decimum quintum signum erit. Morie-

Morietur quicquid vitâ fuit præditum, tam brutorum animantium, quàm hominum: ſubitoque omnes qui iam tum morientur, vnà cum ijs, qui à condito orbe obdormierunt, reuiuiſcent.

O tremenda ſigna, quæ ad te peccator nunc refer, & fructum inde ad tuã ſalutem cape.

1 Mare montes tranſiliet vt veſtrum, O ſuperbi, faſtum atque arrogantiam, quæ continue exilit, condemnet. *Impij autem quaſi mare feruens*, inquit Scriptura. Mare autem tam ſublimè exereſcet montibus exuperatis, vt ſuperborum arrogantiam abſorbeat. *Eſa.57.*

2. Mare, in tantam profunditatem, vt vix appareat deprimetur, quò tibi, ſuperbe, indicetur te à Deo tandem reprimẽdũ & abijciendum. *Increpans mare, & exſiccans illud*, inquit Naum Propheta. *Omnis qui ſe exaltat*, inquit Dominus, *humiliabitur. Superbiam*, inquit Sapiens, *ſequitur humilitas.* *Nau.10.* *Luc.14.*

3. Comploratio illa Beſtiarum (nam hæc tertium ſignum erit) quid aliud

tibi

tibi peccator demonſtrat, præterquàm quòd ij, quos ludi, cantica, choreæque delectauerunt, acerbâ pœnâ plectentur atque afficientur? *Loquere terra, & annunciabit tibi, & enarrabant piſces maris*, inquit S. Iobus.

Iob. 21.

4. Quartum ſignum tibi, Luxurioſe, minatur omnium marium atque aquarum ardore. Quemadmodum tu enim in hoc mundo turpiſſimæ libidinis igne perarſiſti: ſic in Inferno inſtar aquæ, igne ac ſulphure tibi erit ardendum. *Erit pars eorum in igne & ſulphure*, inquit Sanctus Ioannes in Apocalypſi. Atque hoc pacto, quoties in hac vita in turpiſſimarum carnis cupiditatum aqua nataſti, toties in futura ſingulare pro ſceleris tui ratione ſuppliciū perſolues. *Quantum delectauit ſe & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum & luctus.*

Apoc. 21.

Apoc. 18.

5. Tu verò ſicarie ac homicida, quid ſudorem illum herbarum & arborum (quod eſt quintum ſignum) aliud ſignificare arbitraris, niſi ſanguinem illum, quem crudelibus manibus effudiſti? quandoquidem hoc ex eorum ſcele-

rum ac flagitiorum numero est, quæ vltionem atque vindictam è Cœlo clamitant. *Manus effundens innoxium sanguinem*, inquit Sapiens. *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Dicit DEVS Caino. Prov. 6. Gen. 4.

6. Ploratus verò ille ac gemitus à cibo potuque abstinentium volucrum (nam hoc sextum erit signum) quid aliud indicare, O gulose, videtur, quàm cruciatus atque tormenta, quę tibi propter tot crapulas atque ebrietates in Inferno sunt perpetienda? Nam gulæ isti proceres fame & morte apud Inferos cibabuntur. *Mors depascet eos*, inquit Psalmista. Ebriosorum potio erit ignis & sulphur. *Ignis & sulphur spiritus procellarum pars calicis eorum.* Psal. 10.

7. Ruina verò toto orbe ædificiorum, quid aliud erit, quam indicium atque argumentum summæ leuitatis & vanitatis eorum, qui in hoc mundo in nulla re alia, quàm extruendis palatijs voluptatem suam posuerunt.

Heu

Heu quot eorum reperiuntur, qui maiorem ædium vbi corpus habitat, quàm Cœli vbi anima commorabitur, rationem habent? *Væ qui coniungitis domum domui, & agrum agro copulatis.* Heu miseri quantò vobis meliùs consuleretis, si præclarum palatium animæ extruere studeretis in Cœlo, vbi tot sunt tamque pulcherrimæ habitationes! *In Domo Patris mei* Ioan. 14. *mansiones multæ sunt*, inquit Dominus. O vanitatem mundi, O vecordiam!

8. Quid verò ardentia illa fulgetra per aerem ab ortu in occasum concursantia (quod octauum signum erit) aliud peccator, demonstrant, nisi Deum aduersus peccatores, eosque qui proximos suos vexarunt, iniuria affecerunt, concutierunt, spoliarunt, iram suam Matt. 5. accensurum? *Omnis qui irascitur fratri suo*, inquit Christus Iesus apud Matthæum, *reus erit Iudicio.*

9. Conflictus Lapidum (id enim signum nonum erit) aduersus vos obstinati peccatores erit, qui saxis estis duriores:

riores: Hæc enim confringentur, cùm vestra durities tanta sit, vt emollescere nequeatis. Nihil iuuat vobis cælestia bona, nihil promissa ac pollicitationes Christi, nihil atrocissima Inferorum supplicia proponere. O saxis duriores, Peccatores pertinaces! *Petræ scissæ sunt* patiente Christo: *Mat. 27.* vos verò ipsis duriores estis, in eadem obstinatione perseuerantes.

10. Terræ motum illum, peccator, tam ingentem (quandoquidem in Apocalypsi Ioannes. *Et factus est*, inquit, *terræ motus magnus, qualis non fuit, ex quo homines esse cœperunt*) quid aliud significare existimatis, nisi vos à terra diutius sustineri non posse. Ac proinde ideò contremiscere incipiet, vt fathisca vosque absorbeat. Quin potiùs terra (vt author est Sanctus Gregorius) ideò contremiscet, quòd peccatores antè recipere nolit, quàm à Iudice talam de ipsorum criminibus sententiam audiuerint.

Heu quàm arctæ tum, quamque angustæ peccatorum viæ erunt! Siqui-

dem suspicientes, infensum sibi Iudicem intuebuntur. Despicientes, patentem, vt ipsos scilicet hauriat, Infernum videbunt. A dextra peccata sua & maleficia ipsos accusantia aspicient. A sinistra Dæmonas innumerabiles ipsos iam iam in Infernum asportare paratos. Intùs coarguentem animi consciẽtiam foris ignem quo comburentur cernent. Quò igitur tunc miser peccator aufugiet? Tum nimirum Illud Ioãnis proferent. *Montes cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.*

Apoc. 16.

11. Montium & collium totiusque terræ globi complanatio (vndecimum signum videlicet) quid aliud innuere putatis, peccatores, quàm fore, vt magnatum ac potentium hominum, qui inopes ac pauperculos despexerunt oppresseruntque, fastidium atque superbia euertatur? Actum omnes pares erunt & æquales. *Omnis*, inquit Propheta Esaias, *vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.*

Esa. 40.

Tum inter omnes homines paritas
erit

erit & æqualitas, & vt plurimis quisque meritis erit instructus, ita maximus quoque erit. Tum, *Filius hominis reddet vnicuiq; secundum opera sua*, nullâ personarum habitâ ratione: idemque Iudicium in Dominum & seruum, in heram & ancillam, in Regem & Rusticum reddet.

12. Quod ad duodecimum signum attinet, cùm homines scilicet è latebris erumpent, & lymphatorum more dispalabuntur, quid aliud sibi velle arbitraris, quàm tum nullam à quoquam vllo excusationem posse afferri, nec vllum auxilium peccatoribus ab vlla parte præstò fore? nec à Sanctis, nec ab Angelis, nec à Deipara Virgine? Nam ipse Deus terribilem in modum succensebit illis.

Heu peccatores, quid tum inceptabitis? quid dicetis infœlices? Væsani ac mente capti errabitis, quid dicatis nescientes. Nunc igitur, nunc inquam cùm tempus est, facite id, quod tum miseri minimè poteritis.

13. Sepulchra aperientur, circumstantibus ossibus. *Ecce ego aperiam* Ezech. 27.

tumulos vestros, inquit Ezechiel, quò tibi declaretur, peccator, fore, vt omnes spurcitiæ sepulchri, turpissimi scilicet & fœtidi cordis tui manifestæ fiant, in medioque ponantur. *Nihil*
Luc.12. *opertum, quod non reueletur, & occultum quod non sciatur*, inquit Dominus.

Tum omnia tua, peccator, secreta & occulta scelera patefient, atque ob oculos totius orbis ponentur. Quid igitur miser facies, quò te infœlix vertes?

14. *Stellæ cadent de Cœlo*, inquit Dominus, vt omnibus peccatoribus pauor terrorque incutiatur, qui sese cœlesti aditu indignos reddidêre.

15. Denique omnes homines emorientur, vt significetur tibi peccator, omnes tum voluptates intermorituras, tibique tandem omnibus iniurijs, quibus Deum tuum affecisti, finem esse imponendum.

Considerate nunc vobiscum obfirmati peccatores diligenter, & contemplamini omnia illa portenta, & durissimum illud animorum vestrorum mar-

marmor ad ſalutem veſtram confringite, Amen. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.



DE RESVRRECTIONE mortuorum, & quemadmodum omnes homines, qui partim mortui ſunt, partim moriuntur, partim morientur, ab orbe condito ad eius interitum vſq; ſint reuictu. ri.

CAPVT XXV.

ET *mittet* (filius hominis Ieſus Chriſtus in die Iudicij) *Angelos ſuos cum tuba, & voce magna*, vt mortuos ad Iudicium conuocent. *Mat. 24.*

Heu peccatores, quid tum facietis, cùm mortui etiam in ſepulchris horrendum ac formidabilem ſonum hunc audient, *Surgite mortui, venite ad Iudicium*, Quid, inquam facietis, cùm vos quoque mortui horriſonam illam

Tubam vocemque Angeli audietis, qui vos conuocabit ad Iudicium & congregabit. Non poteritis vos subducere, non poteritis dicere: Nolumus, Velitis, nolitis veniendum est.

Heu miseras damnatorum peccatorum animas, quæ ab ima tenebrosi Inferni abysso sonum audietis. Nam simul atque clangor ille Tubæ voxque Angelica intonuerit, vos in opacissimis tenebrosi barathri specubus ab execrandis Dæmonibus, socijs vestris & carnificibus continuò corripiemini, qui vos intereà dum alij alias apprehēdent ita allatrabunt. Venite execratæ animæ, venite nobiscum, vt exaudiatis percipiatisque maximè terribilem illam vestræ condemnationis sententiam. Venite vt desecremini recipiatisque maledicta vestra corpora, in quibus DEVM offendistis: Vt his copulatæ atque coniunctæ in æternos gemitus, ac ploratus reuertentes, vitam in obscuris illis atque horrendis tenebris transigatis sempiternam.

O miseriam! O spectaculum! Diaboli

boli ex Inferno ingenti clamore, vlulatu, ac ſtrepitu erumperent, protrahentes ſecum damnatas animas, quas diuerberabunt & varijs diuerſiſque ſupplicijs excruciabunt, vociferantes, tumultuantes, & deteſtantes Deum vnde ſunt creati.

O quantus terror & formido, quamque horrendum & expaueſcendum ſpectaculum erit, videre ex profundiſſimis terræ antris & ſubterraneis latebris tantam Diabolorum, tantam fœdiſſimarum, atque horrendarum animarum vim ac multitudinem proruētem, vt terram pariter ac Cœlum terrore ac metn compleat.

Perpende peccator, omnes has condemnatas animas & Diabolos, quorum tantus erit numerus vt nec cogitando comprehendi, nec enumerando recenſeri poſſit, deformitate ſuâ vniuerſo orbi terrorem illaturos, & caliginem vbique inducturos: denique ex omni parte gemitus, vlulatus, horrificas lamentationes animarum, ſtrepitus & tumultus

execrandorum Dæmonum exorituros.

Heu peccatores ac peccatrices quid tum facietis? Constricti atque alligati nusquam neque vos abdere, neque aufugere poteritis: sed necesse erit vos ad tremendum Iudicium conuenire.

Totus mundus, totaque terra Diabolorum & damnatarum animarum plena erit. Omnes miseræ animæ ad sepulchra sua plorantes ibunt, vt diuino iussu fœda sua & nauseosa corpora resumant, cum ijsque rei ungantur & habitent in tenebroso Inferno.

Considera peccator, quòd quando maledictæ illæ animæ ad sepulchra sua adstabunt, vnaquæque ingemiscens ac clamans corpus suum ita alloquetur

Hucdum execrandum corpus veni, vt & tu velut consors ac socius meus igne Inferni mecum exurare. Hucusque dormiuisti & quieti fruitum fuisti, me solâ in supplicijs atque tormentis relictâ: nunc necessum est, vt tu quoque venias præmium factis tuis debitum

bitum accepturum. Veni execrabile corpus: tuis enim turpibus atque immundis cupiditatibus obsequi coacta fui. Hucdum impurum, fœdum ac nauseosum prodi, vt sexcentis adeoque innumeris execrationibus ab eo, qui te creauit mihique dedit, deuoueare. Venite crudeles atque impiæ manus, vt tot cædium tot fortorum, latrociniorum ac prædationum, aliorumque flagitiorum à vobis commissorum præmium auferatis. Venite execrandi pedes, vt tot tamque multiplicium scelerum, ad quæ committenda tantâ pernicitate conuolastis, mercedem accipiatis. Veni os meum linguaque execranda, vt tot blasphemiarum & inhonestorum atque obscœnorum verborum, quæ protulisti præmio doneris. Veni execranda gula, quæ nulla crapulâ & ebrietate vnquam satiari potuisti: iam tempus venit debita omniaque ea, quæ contra quàm licuit bibisti & comedisti, persoluendi. Venite execrandi oculi mei, qui nullis bonis, nulla libidine expleri potuistis. Venite maledictæ aures meæ, quas nulla res alia quàm inhone-

honesta verba vocesque ac cantationes lasciuæ oblectarunt.

Huc breuiter vniuersa fœda & nauseosa membra, quæ, quòd vobis placere studuerim, me perdidistis. Venite vt turpitudinum vestrarum præmium capiatis, mecumque tenebrosi & obscuri Inferni igne comburamini, omni spe illinc vnquàm exeundi ademptâ.

Veni deniq; execrabile corpus, quod quemadmodum omnium vitiorum societate mecum coniunctum fuisti: ita nunc quoque omnium cruciatuum mecum iuxtà particeps eris, pariterque in æternis pœnis ac ploratibus viuemus, citra spem vllam ex Inferno exeundi.

Hoc pacto singulæ damnatorum hominum animæ, in die Iudicij corpus suum alloquentur. Sic inquam vestræ, peccatores, animæ corpora vestra alloquentur, si lethali crimini obnoxij moriemini, & condemnabimini, quod ne fiat, magnum periculum est.

Huiusmodi verba maledictæ animæ proferent, cùm diuinâ virtute omnes omnium mortuorum corporum dissipati cineres colligentur, atque è fœdis & te-

& tenebrosis sepulchris exurgentes cũ execrãdis suis animis reiungẽtur. Quo facto, ceu grex aliquis caprarum atq; hœdorũ à Dæmonibus immanissimis Pastoribus ad Iudicẽ deducẽtur, vt omnes pariter condẽnentur & desecrẽtur.

Sed relictâ tã horrẽdâ cõsideratione peccatores, ad contemplationẽ Beatorum animarũ progrediamur. Cuius rei cogitatione animos vestros ad rectè faciendi studium, deserendaque peccata excitate & confirmate. Hem quàm gratum quamque iucundum spectaculũ erit, Cœlo discedente tot beatas animas instar solis clarescentes & splendidas descendentes intueri, vt in terram reuersæ corpora sua recipiant.

O spectaculũ iucundũ? Apparebit ibi anima magni illius precursoris Ioãnis Baptistę, ardẽtissimi solis instar resplẽdẽs & scintillas, quæ sese deorsũ demittet, vt dissipatos suos cineres resumat. Apparebũt ibi duo illa prẹclarissima S. Ecclesiæ columina Petrus & Paul⁹, cũ reliquis Apostolis omnibus. Hic Patriarcharũ, illic Martyrũ, alibi S. Cõfessorũ animæ apparebunt, & ceu stellæ atq;

innumeri ſoles toto Cœlo ſplendebunt. Quæ aerem ſplendore & lætitiâ ouantes complebunt, ſenſimque in diuerſa terræ loca & regiones ſubſident, vbi ſepulchra ipſorum erunt, vt corpora ſua gloria ac pulchritudine iam prædita recipiant. O ſpectaculum! Aduenient benedictæ illæ animæ ab Angelis comitatæ (haud ſecùs ac damnatorum animæ in Dæmonum comitatu) præcipuè verò ab Angelis cuſtodibus qui in hac vita ipſas tutati ſunt omni pulchritudine explendentes omnique gaudio & voluptate cumulatæ. Ergo ſuam quiſque benedictus Angelus fœliciſſimam beatiſſimamque animam affabitur. Veni anima à Sanctiſſima Triade benedicta, quàm totâ mente in mundo coluiſti. Veni fœlix anima, corpuſque tuum reſume, vt vnà cùm illo à Domino noſtro Ieſu Chriſto beatitudine doneris, inque Paradiſum & conſortium eius conducaris, viuaſq; & Deo tuo nobiſcum in ſempiternum perfruare.

Hem quod ſpectaculum erit, ornatiſſimas SS. Petri & Pauli animas in

aere comparentes Romæ ſuſpicere, & ſepulchra ſua petentes, vt pulcherrimas ſuas exuuias reſumant! Quod inquam erit ſpectaculum intueri eaſdem reſuſcitatas, ſummâ ſpecie ac pulchritudine præditas in comitatu tot Sanctorum Sanctarumque qui ſanguinem ſuũ ob ſanctam fidem in finitimis & circumiacentibus locis Profuderunt. Procùl igitur Angeli, clamabunt quoque benedictæ illorum animæ corpora ſua his vocibus compellantes: O miſella noſtra corpuſcula, quę tanto tempore in puluere citra remunerationem iacuiſtis, huc agite, tempus iam venit, vt vos quoque nobis coniuncta gaudiũ, totque moleſtiarum, acerbitatum, laborum, quos nobiſcum in mundo pertuliſtis, præmium capiatis. Venite mei pedes, inquiet aliquis, qui nudi tot itinera amore Dei feciſtis, frigori ſimul & calori expoſiti. Venite miſellæ manus, inquiet alius, quæ amore Ieſu noſtri toties benè feciſtis. Veni lingua mea quæ aſſiduè Dominum tuum annunciaſti, docuiſti, laudaſti, inquietis, qui Concionatorem egit. Veni venter,

qui toties ieiunasti. Venite lumbi mei, qui funes & catenas Christi amore gestastis. Veni deniq; totum corpus meũ, quod te tantoperè cilicijs, flagellis, fustibus, alijsque atque alijs cruciatibus amore Domini nostri Iesu Christi exercuisti atque edomuisti: nunc tempus adest, vt & tu mihi coniunctum laborum ac vigiliarum tuarum præmio afficiaris ac perfruaris, inquiet is, qui corpus suum varijs tormentis affecit. O quale spectaculum erit, videre per vniuersum orbem, maximeque Romæ resurgentem tantum Sanctorum numerum incredibili specie ac splendore quà corpore, quà animo præditũ! Aer omnibus locis Angelorum & Sanctorum plenus erit. O fœlicissimos eos, qui omnem vitæ suæ cursum in virtute recteque factis confecerint: quique si quod in vitium delapsi sint, ipsi se collegerint, conuerterint, & scelerum ipsos pœnituerit! Nam hi quoque ex illo beatissimo gloriosissimoque numero erunt. Quid nunc ais frater peccator? Te igitur ad sonum tubarum mearum obdurescere amplius? te in deli-

ctis obfirmatum perseuerare? Væ tibi siquidem istuc feceris: nam hac ratione tu quoque in consortio miserorum damnatorũ eris. Quod diuina misericordia clementer auertat, Amen.



DE ADVENTV IVDICIS ad iudicium, deq; ingenti terrore, quem tametsi sexcentis solibus pulchrior ac splendidior apparebit, peccatoribus incutiet.

CAPVT XXVI.

CVm venerit filius hominis in maiestate sua & omnes Angeli eius cũ eo, tunc sedebit super sedẽ maiestatis suæ. Matt. 25.
Heu peccatores, reuertimini, peccatisq; relictis in mẽtẽ vobis veniat fore, vt ab ipso Deo, quẽ tã innumeris vestris sceleribus offẽdistis, vos iudicari oporteat. Perpẽde nũc, peccator, quod postq̃ Angeli venerint, omnesq; mortuos tubarũ cõcẽtu, altaq; & terribili voce ad Iudiciũ cõuocauerint, postq̃ itẽ omnes mortui reuixerint, inque vallẽ Iosaphat, & cir-

circùm loca coacti fuerint, per totum se orbem explicantes, (Damnatis in terra ſtantibus, Electis verò ſummo ſplendore & ſpecie in aere ſeſe librantibus) tandem in eodem aere iudex cõparebit, atque è Cœlo in omnium Angelorum cœtu, chariſſimâ ſuâ Matre comitatus deſcendet. Conſidera Vexillum S. Crucis anteceſſurum, Cœloque delapſurum cum reliquis Sanctiſſimæ mortis & Paſſionis Chriſti inſtrumentis omnibus, quę à S. Angelis geſtabuntur, partim vt clariſſimo teſtimonio ſint aduerſus omnes peccatores, vtque æquitatem ſententiæ, quam contra dãnatos feret, demonſtrent, partim vt omnes bonos conſolentur, qui eorum vi
Matt, 24. & virtute ſaluabuntur. *Et tunc*, inquit Dominus, *apparebit ſignum filij hominis in Cœlo.* Et Eccleſia S. canit: *Hoc ſignum crucis erit in Cœlo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.* O ſpectaculum mirificum, nunquam orbi viſum nec cogitum! Sanctiſſimum S. Crucis ſignum ſexcentis ſolibus coruſcabit ſplendidiùs, exornatum atque innumerabili cœleſtium colorum va-
rieta-

rietate depictum: cui reliqua mortis & Passionis Domini nostri IESV Christi instrumenta similia erunt. O terque quaterq́ue beatos eos, qui placidis lætisq́ue oculis Crucem illam intuebuntur! O vos fœlicissimos & gloriosos! siquidem magna animi cum oblectatione & lætitia eā aspicietis: contrà verò miserrimos infœlicissimosq́; damnatos, qui maximâ animorum ægritudine inuiti eandem videbunt! Hem quantam voluptatem probi, quantum dolorem improbi ex intuitu illo percipient! Quantâ alacritate & lætitiâ eam contuebuntur S. Ioannes Baptista, S. Petrus, S. Paulus, S. Bartholomæus, omnesq́ue reliqui Apostoli. S. Benedictus, S. Carolus, S. Dominicus, S. Franciscus, cum reliquis sanctis omnibus. S. Maria Magdalena, S. Clara, S. Cæcilia, Catharina, Vrsula, Catharina Senensis, Francisca, Elizabetha, itemq́ue omnes Sanctæ reliquæ. Heu impie & nefarie Pilate, qui Christum Crucis morte multasti, quo pacto hanc crucem poteris tum intueri? Heu Caipha, reliquique omnes Pontifices, Scri-

bæ

bæ & Pharisæi, qui tantum clamorem & tumultum concitastis, vt ab impio Pilato condemnaretur is, quem vos priores inter vos morti Crucis adiudicaratis, vociferantes. *Tolle, tolle, crucifige eum*, quomodo crucem illam aspicietis? quantum animo dolorem capietis? quæ vestra erit indignatio, quis furor, quæ rabies? Heu peccatores Christiani vos, qui huius sanguinis, crucis & mortis promerita contempsistis, quid dicetis, quidve tum facietis? Heu superbe, qui despectis omnibus nunquam te submittere vocuisti, quemadmodum tuos tum oculos deijcies, ne signum illud triumphale aspicias, ob summum quem scelerato isto animo senties, dolorem? Heu lasciue, qui omnis spurcitiei volutabro immersus, sāguinem, mortem, & Passionem Christi aspernatus ætatem tuam traduxisti, quo pacto intueberis illam? Heu iracunde, qui nihil remittere voluisti ei, qui in re vel minima te offenderat, etiamsi te per sanguinem, per crucem, per mortem & Passionem Christi veniam rogasset, quid te fiet? quomodo

can-

eandem intuebere, cùm videbis omnẽ ſpem ſeu(quod dici ſolet)omne vadum obtinendæ veniæ eſſe interclúſum?

Heu auare,tuque, qui ob Chriſtum ne buccam quidem panis pauperi dediſti,quid te fiet,cum videbis te omniũ rerum tàm cœleſtium quam terreſtriũ inopiâ laborare? Heu imꝓba mulier,q̃ tot interfeciſti animas, quæq́; tantâ iniuriâ ſanguinẽ & crucẽ Chriſti vitæ improbitate affeciſti,quid tũ inceptabis?

Tũ errorem tuum impie atq́;execrãde Hęretice animaduertes, qui Chriſtũ aſſiduè, eiuſq; S. Eccleſiam infectatus es.Tũ,tũ omnes ſcelerati & nefarij Hęretici,infideles,mali Chriſtiani errores veſtros intelligetis. Heu damnatæ animæ,tũ ſcelerũ veſtrorũ fructũ videbitis omni cõſequẽdæ miſericordiæ ſpe, quã in hac vita cõtẽpſiſtis depulſi. Sed quid futurũ eſt,quãdo poſt crucẽ & Paſſionis myſteria,ſpecie & ſplendore,regiaque maieſtate Ieſus ille crucifixus cũ pulcherrimis ſuis & relucẽtibus vulnerib⁹ apparebit!O fœlices eos q oculos ſuos eò conuertere poterunt ac cõtẽplari! ô dulciſſima ſuauiſſimaq; amãtiſſimi Ie-

ſu

ſu mei Vulnera! imperrtite mihi eam gratiam, vt in eorum numero ponar, qui vos cum alacritate animique lætitia intuebuntur. O mi Ieſu benedicte da mihi gratiam, vt ijs annumerer, qui eximiâ pulchritudine ſplendentes te ſpecioſum glorioſumque in aere læti intuebuniur.

O mi Ieſu amabilis, concede mihi gratiam, vt de illis ſim vnus, qui in te tuiſque vulneribus in hæc verba poſſim gloriari.

En dulciſſimum meum atque amantiſſimum Ieſum benedictum, qui tantam mihi tribuit miſericordiam, vt me ex immenſa tot ſcelerum abyſſo extraxerit, mihique clementer ignouerit. Ecce vulnera illa & amabilem ſanguinem, cuius virtute ſeruatus ſum. Eſtote benedicta vos ſuauiſſima amoriſque pleniſſima vulnera. Eſto benedictus dulciſſime & amoris pleniſſime Ieſu, qui tantâ in me miſericordiâ vſus es. Tibi tuiſque vulneribus omnis laus, omnis honor, omnis gloria, omnis deniquebenedictio tribuatur. Te laudent perpetuò & benedicant om-

nes

nes Angeli omnesque Sancti & sanctæ in Cœlo. Te celebrent assiduè omnes fideles in terra. Denique te collaudet quicquid à te creatum effectumque est rerum tam aspectabilium quàm inaspectabilium, cœlestiũ simul & terrestrium: vtpote quorum bonum ac gloria à te omnis proficiscatur. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gal. 3.

Conuertite vos nunc fratres peccatores ac sorores peccatrices ad Christum iudicem in æthere diuinâ specie ac forma præditum, aspectu iucundum quidem Angelis bonisque omnibus, terribilem verò ac formidabilem Diabolis omnibusque ijs, qui sunt condemnati. Quandoquidem ab illis læto blandoque vultu summa, cum animorum lætitia & alacritate, ab his verò cum furore atque immenso tenebricosarum mentium dolore aspectabitur. Omnes quidem diuina specie & gloria splendentem contuebuntur, sed diuersis animorum affectionibus Electi &

Dam-

Damnati ipſum aſpicient: quorum hi ipſum intueri cogentur, vt dolor eorū
Ierem.4. augeatur. *Laua à malitia cor tuum Hieruſalem, vt ſalua fias.* Abluite vos peccatores. Redite ad vos ipſos miſeri atque amentes. Ne expectate dum tenebroſum illud terribilis iudicij tempus veniat. Nullum enim tum tempus habebitis.

Perpende peccator quot adiumenta tibi parata ſiut, quibus fulcitus ad Deū poſſis reuerti. Tot Eccleſiaſtæ qui concionantur, tot Confeſſores qui te erudiunt, tot libri qui te vocant, docent, reuocant, tot interiores inſtinctus & voces Dei, tot S. Eccleſiæ, tot Sanctorum cœleſtium deprecationes. Habes Angelum tuum cuſtodem à quò nunquam deſereris. Conſidera quantum auxilium ab indulgentiſſimo Ieſu tuo paratum habeas, qui te aſſiduè vocat, te docet & inſtituit, pro te ceu homo quiſpiam Patrem ſuum ſemper orat.
1.Ioan.2. *Aduocatum*, inquit S. Ioannes, *habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.* Perpendite peccatores, quantam vobis opem afferat Mater omnis
miſe-

misericordiæ Maria, omnium peccatorum mater & patrona, quæ coram Filio suo in Cœlo distentis brachijs pro omnibus nunquam deprecari desinit. Perpendite rursum ex altera parte, nullum tum vobis auxilium affore. Non sancti, non Ecclesia, non Maria. Nam tum, *clausa erit ianua.* Omnis gratiæ porta Maria tum occlusa erit, quæ nunc semper ad recipiendum peccatorem patet, cùm pro illo orat, eumque ad reliquenda peccata incitat. Sed tum *clausa erit ianua*, adeoque ipse Iesus qui dixit: *Ego sum ostium per me si quis introierit saluabitur*, hoc inquã ostium, Iesus scilicet occlusum erit. Agite peccatores & peccatrices, venite ad Christum, venite ad Mariam, pulsate fores quæ totæ vobis patebunt, & passim misericordiam omniumque scelerum & maleficiorum, quæ vnquã suscepistis veniam & impunitatem cõsequimini. Faxit Deus vt isthuc omnes faciamus, Amen.

Mat.25.

Ioan.10.

DE



DE INGENTI PVDOre quo omnes damnati in die Iudicij coram Deo atq; vniuerso orbe afficientur.

CAPVT XXVII.

Matt. 25. *ET congregabuntur ante eum omnes gentes & separabit eos ab inuicem, sicut pater segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* Considera nunc miser peccator, quantum cruciatum atque intemperias perturbatâ tuâ mente sensurus sis, cum in præsentia DEI, totiusque mundi astabis, vt omniũ tuorum scelerum, & peccatorum condemnêre. Perpende, quantus te pudor inuasurus sit, cùm omnia tua scelera patebunt, in promptuque erunt omnibus hominibus, qui sunt, fuerunt, erunt, ab orbe condito ab eius vsque dissolutio-
Naum. 3. nem. *Et reuelabo pudenda tua in facie tua,*

tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam inquit Naum Propheta. Nusquam te infelix & miser, poteris abdere, neque fœda ista peccata, quæ adeò clandestinò à te commissa putasti, occulere aut supprimere poteris. Tum quæcunque flagitia clanculùm commisisti, atque à tot cœlestium oculis abscondere conatus es, manifesta erunt. Tum omnes tuæ proditiones & machinationes patebunt, proditor. Tum omnes tuę fallaciæ manifestæ erunt, veterator. Tum omnes animi tui sensus & cogitationes sublatâ laruâ apparebunt, peccator. O rem mirabilem & ingentem! alius aliorum peccata in fronte, ceu libro leget. Maritus omnes inhonestæ suæ vxoris fallacias & dolos: Vxor omnes culpas mariti: Amicus omnes fraudes malitiosi sui amici videbit. Atque hoc pacto omnia omnium maleficia palàm & distinctè abs quouis in fronte legentur. O admirandam Dei Iustitiam quod quis tantâ industriâ, tamque arcanò & occultè commisit, vt ne vnico quidem amico fiderit, id inquam, quod

peccator admisit vix ipse sibi confisus, tum clarè legetur atque videbitur à cunctis hominibus, qui vnquam fuerunt, sunt, erunt à mundi origine ad eius vsque interitum. *Nihil autem opertum est, quòd non reueletur, neq; absconditum, quod non sciatur.* Quod mulierculæ sunt, quæ peccarunt, neque Sacerdoti tamen confiteri voluerunt inani quodam metu, quæ tum omnia omnibus erunt perspicua? O Iustitia diuina, quàm ampla es, quamque latè pates, quàm seuera, quàm sancta es! vt quæ nihil non patefacias.

Luc. 12.

Expende nunc peccator, quis pudor ille futurus sit tuus, cùm ante mundi oculos positus, apertus, introrsùs extrorsúsq; ab omnibus perspicuus eris. O ruborē! O pudorē! O turpitudinē!

Heu quot erunt, qui cùm ab hoc stulto & vecordi mundo sancti existimati fuerint atque adorati, omnium tunc longè improbissimi declarabuntur!

Heu quot perditiones & machinationes tum in lucem proferentur! quot stupra, quot adulteria, quot incestus, quot sacrilegia manifesta fient! plura

sanè quàm quisquam in animum vnquã fieri induxisset. Quot iniuriæ, quot expilationes atq; direptiones, quot latrocinia, quot flagitia sodomitica, quot fęditates pecuniæ! quot deniq; quãq; innumerabilia, fœda, atq; abominãda carnis peccata tũc aperta erũt & manifesta!

O Iesu mi, q nihil nõ vides, tu quicq̃d toto orbe nullâ regię ac diuinę maiestatis tuæ habitâ ratione rerũ te inspectante geritur, pspectũ habes. Tũ ipse q tibi soli notũ est, toti mũdo aperies & patefacies. Ignosce, Domine peccatoribus. Fer ijs opẽ mi Iesu, vt se corrigẽtes nõ necesse habeãt in præsẽtia toti' mũdi tã horribili pudore suffũdi. Subueni nobis Iesu mi. Recordare te nostrũ esse Patrẽ, nostrũ Deũ, nostrũ deniq; Dominũ. Ne nos igitur Domine relinque. *Cõuerte nos Deus salutaris noster, & auerte irã tuã à nobis*, Ne permitte nos viuere, *Sicut equus & mulus, quibus nõ ẽ intellectus*. Domine fer auxiliũ peccãtibus animab. Recordare illas benedicto tuo sãguine à te esse redẽptas. Domine ne illud, q̃ſo pire sine, q est omne tuũ. Omnes animæ tuæ sunt. Domine tua Psal. 84. Psal. 58.

eas: audi non paucas clamantes.

Psal. 118. *Erraui, sicut ouis quæ perÿt, quære seruum tuum quia legem tuam non sum oblitus.*

Perÿt fugâ à me, & non est qui requirat animam meam. Psal 141. Multæ sic miserorum peccatorum afflictæ animæ clamant; Quibus subueni Domine succurre Domine. Ne desere eas Domine, quæ sunt tuæ omnes. Tibi se totas tradunt atque committunt, ad te confugiunt, à te solo auxilium efflagitant atque expectant.

Heu peccatores fratres, & sorores peccatrices, magno nos scelere obstringimus, nisi benè recteque faciamus, & nisi nos ad Dominum Deum nostrum conuertamus: quandoquidem nullum nobis ex vlla parte auxilium deest: vnde si perimus, omnis culpa nostra est.

Opitulantur nobis Sancti, opitulãtur Angeli, opitulatur Ecclesia, opitulatur Cœlum, opitulatur terra, nihil nobis non opitulatur. Auxiliatur nobis Maria virgo, auxiliatur nobis Iesus noster, auxiliatur nobis augustissima.

Trinitas, cuius ſumus, à qua creati ſumus, à qua defendimur & conſeruamur. Ex quo ſi damnemur, noſmet ipſi noſtræ miſeriæ cauſa ſumus. *Perditio tua Iſrael tantum in me auxilium tuum.* Oſe. 13.

Deus nobis fert præſidium: nos verò ipſi nos præcipitamus. Nos malum nobiſmetipſis accerſimus. Nos infernum nobis ipſi procuramus. Deus enim quantum in ipſo eſt, ſaluos nos cupit: & Ieſus Dominus noſter pro omnibus morte occubuit. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, inquit S. Ioannes, *Non pro noſtris autem tantùm ſed etiam pro totius mundi.* 1. Ioan. 2.

Nullam peccatores ſi damnamur, excuſationem afferre poſſumus. Noſtrum malum eſt, nos noſtri exitij fons & origo ſumus. Noſtrum damnũ erit.

Heu fratres, & ſorores, declinate igitur à vitijs. Reuertimini ad Deum. Quod ſi initio facere non poteſtis amore Dei, quem erga illum ceu Patrem habere vos conuenit: tamen vel ideo

isthuc facitote, vt pudorem illum, qui vos in die iudicij toto præsente mundo inuadet, euitetis. Ac tum quoque in spem adducar, vos postea idem facturos amore Dei.

O sanctam considerationem! O cõtemplationem vtilem & fructuosam! Vtinam te quis in omnium hominum pectora posset imprimere, quanto bono atque vtilitati infœlicibus animabus fores, quæ nunc miserabilem in modum per dementiam damnantur!

Heu miser homo quid agis? quò vadis? quid cogitas? quò tàm properè ac rapidè auolas? in exitium, in ruinam, in damnationem. Eheu Domine, fierine potest, vt tot animæ ab omnipotenti tua manu creatæ, tantoque litro pretiosi tui & benedicti sanguinis redemptæ pereant?

Inueni viam, Domine, ne tanta animarum pereat multitudo. Tuorum vel Christianorum animas serua: quando tot Turcarum, Hæreticorum aliorumque Infidelium qui benedictæ tuæ sanctæque Fidei lucem

reci-

recipere noluerunt , [illegible]æ pereunt?

anima

Sed via ratioque inuenta est, Christiani peccatores fratres mei, & sorores peccatrices. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, scis tibi à Domino tuo mandatum esse vt vitam agas Christianâ dignam professione, vt à peccatis abstineas, vt benè recteque agas, vt malum denique fugias. Scis quid Propheta inquiat. *Diuerte à malo & fac bonum.* Faxit Deus Opt. Max. vt isthuc omnes faciamus, quò cuncti salui fiamus. Amen. *Matt. 19.* *Psal. 33.*





DE FORMIDABILI illa ſententia, quam Ieſus Chriſtus in die iudicij proferet. Beati illi & fœlices, qui eam totâ mente animoq́ conſiderabunt. Hæc enim ratio erit commodiſſima peccati deſerendi, ſeſeq́ ad Deum conuertendi.

CAPVT XXVIII.

Matt. 25. *TVnc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt. Venite benedicti Patris mei, poßidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Duæ hoc loco ſunt fratres peccatores, quæ vos ad deſerenda vitia atque peccata, & ad reuertendum ad Deum veſtrũ cõcitare ac cõmouere poſſunt altera eſt benedictionis, q̃ bonos manet, cõſideratio: altera ſũmè formidabilis il lius

lius sententiæ, quam Christus Iesus cõtra omnes execrandos damnatos proferet, ponderatio. Bonis siquidem, *Venite*, inquiet, Improbis verò. *discedite à me.* Bonis dicet: *Benedicti:* malis verò: *maledicti.* Bonos affabitur: *venite benedicti Patris mei, possidete regnum.* malos: *Discedite à me maledicti in ignem.* Bonos alloquetur: *Venite, possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi.* Malos: *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.*

Habetis hic peccatores, quod maximum vobis afferre potest adiumentum, vt à peccatis abstinentes ad Deum reuertamini, considerantes id quod bonis euenturum est, quodque malis. Illi enim in Cœlum conuocabuntur: hi in infernum condemnabuntur.

In Paradisum ibunt probi, peccatores; In infernum ibunt improbi, peccatores. Paradisus & Infernus duæ res sunt contrariæ. Paradiso nihil pulchriꝰ aut magnificentius: Inferno nihil hor-

rendum magis. Paradiso nihil dulcius, Inferno nihil acerbius.

Cogita igitur Peccator de Paradiso, pariter & de Inferno. Cogita de Paradiso, relictoque peccato ac resipiscens ita te compara, vt illuc peruenias. Cogita de Inferno teque ita compara, vt à vitæ prauitate desistens ipsum effugias atque declines.

O sapientes peccatores eos, qui resipiscere instituerunt adeoque sese emẽdarunt! O dementes eos, qui vitia & scelera continuè consectati sunt, ijsque obnoxij è vita decesserunt: O beatos eos, qui vitam suam moresque conuerterunt, quosque scelerum & maleficiorum suorum pœnituit; hi enim post mortem salui fient. O miseros eos, qui sese cupiditatibus corporis dediderunt. Nam ij positâ vitâ, sunt damnati.

O fœlicissimos eos, qui se correxerunt. Hi enim cùm animam suam seruauerint, in die iudicij sempiternis gaudijs in Cœlo quà corpore quà animo perfruentur! O miseros eos atque infœlices, qui vitia & peccata confe-

ctati,

ctati, ijſque obnoxij deceſſerunt, atque ita animam ipſi ſuam damnarunt ac perdiderunt! Nam hi peracto iudicio quà corpore, quà animo condemnabuntur. *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum.* O terque quaterque beatos probos, quibuſcum tam præclarè agetur, quique Cœlo perfruentur. O infœliciſſimos improbos, quibuſcum tam peſſimè agetur, quique in Inferno tormentis excruciabuntur. D. Athan.

O peccatoris duritiem, quæ nihil hiſce rebus mouetur: O peccatoris impietatem, qui iſthæc ſecum non reputat, neque emendans ad Deum ſe conuertit.

Vna duntaxat anima præditus es, peccator, eaque ipſa in iudicio à Deo aut deſecrabitur, aut benedicetur. Vnam tantùm animam habes peccator, eaque ipſa aut in Cœlum ſubuolabit, aut Infernum ſubibit, vt aut perpetuò moriatur, aut æuo ſempiterno fruatur. Vnam ſolum animam habes peccator, eaque ipſa aut æternis

gaudijs in Paradiso complebitur, aut æternis pœnis in inferno afficietur.

Prou. 9. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris*, inquit sapiens. Sapies peccator, si peccata fugies atque oderis & ad Deum reuertêre. Desipies adeoque ipsâ amentia eris amentior, si scelera consectatus Dei obliuiscêre. At quanta est eius generis stultorum atque amentium multitudo? *Peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus*, inquit Sapiens.

Heu miseri damnati, vosque qui cōdemnabimini, vt vecordes & amentes estis fuistisque? quippe cùm propter corporis voluptatem quamuis exiguā, fugacem atque euanescentem tantum bonum amiseritis, atque amittatis.

Heu quis posset amentibus illis, qui se ipsi ob rem nihili tam miserabilem in modum perdunt, amissum cerebrū reddere? Heu quot animæ continuè cōdemnantur?

Considerate, peccatores, nullum diem, diem autem? nullam horam, horam

ram verò? nullum quamuis exiguum temporis momentum abire, quin multa animarum millia (hominum ſcilicet veſtri ſimilium) in Infernum imbri in morem decidant.

Viuit peccator, epulis ſomnoque deditus, neque vnquam de ſalute cogitat ſua. Luxurioſus in corporis voluptatibus & libidine haud aliter atque ebrius iacet ſepultus, neque conſiderat mortem ſingulis horis & momentis præſentem ſibi eſſe atque adeſſe, vt ipſum interficiat. Heu quot, quot, inquam cubitum veſperi iuêre qui in lectis mortui nunquam inde ſurrexerunt. Mortem, mortem peccatores contemplamini, quæ ſemper ad vos perimendos impendet. Vos verò qua ratione vos comparaſtis? vt ſe habet anima tua peccator? peccatrix vt tua anima ſe habet? vitiorum ac ſcelerum referta, tenebris & caligine cooperta, in manu Diaboli, ſexcentis catenis firmiſſimis conſtricta, vt non iniuriâ cum Propheta liceat exclamare. *Funes Peccatorum circumplexi ſunt me*: tametſi dicere nequeatis. *Et legem tuam non ſum oblitus*. *Pſal.* 118.

Sed redeamus, peccatores, ad terribilem illam & formidabilem sententiam, quam Christus Iesus contra damnatos proferet. Voluite eam in animo diligenter atque reuoluite, imprimite & quasi signate eam in cordibus vestris, vt vobis stimulus sit atque incitamentum ad detestabile peccatum propellendum ac propulsandum.

D. Hiero. Heu miseri peccatores, perpendite dictum illud Hieronymi, viri tantâ sanctimoniæ laude præstantis, qui: *siue dormio*, inquit, *siue vigilo, siue comedo, siue bibo siue lego, siue scribo, siue sedeo, siue ambulo semper mihi videtur sonare in auribus illa vox: Surgite mortui, venite ad iudicium.*

Heu miseri igitur atque infœlices peccatores, si homines tantâ vitę innocentiâ, integritate, & sanctitate excellentes horrendum illum diem tantoperè extimuerunt: quid tandem vobis faciendum, miseri cæcique, contra quos acerbissima illa condemnationis æternæ sententia certissimè proferetur?

Mi Deus, Deus mi, tribue vel calamo meo, (quando voci non vis,) eam vim, vt hoc breuissimum, nullaque arte aut elegantiâ compositum scriptum meũ, vtque pariter harum canentium tubarum mearum, imò tuarum sonus omnium lectorum mentes animosque afficiant atque commoueant, vt peccata tandem relinquere, ad teque Deum & Creatorem suum reuerti, quemadmodum decet, instituant atque decernant.

Mi Deus, Deus mi, quando tibi placitum fuit sanctum hunc instinctum afflatumque in mentem meam, ad animarum tuo pretiosissimo sanguine redemptârum salutem induere, tribue quoque hunc fauorem & gratiam, vt consopitos peccatores calamo sonoque in charta depicto duntaxat & exarato, ex miserando vitiorũ lethargo ad tuã gloriam, ipsorumque salutem valeam excitare. Neq; enim tu ignoras, me solâ hac voluntate aut consilio isthæc scribere, loqui tibique preces adhibere.

Mi Deus, Deus mi, pro tua clementia & misericordia. Ne permitte, oble-

obſecro, hanc lucubrationem noſtram & canoras tubas à quoquam peccatore ſine fructu aut vtilitate legi atque audiri: vt Diabolus ſolus ad ſonitum illarum atque clangorem contremiſcat, & horrere perſtringatur.

Vos verò fratres peccatores, & peccatrices ſorores, ſi fortè animos veſtros clangore ac ſono illarum feriri atque accendi perceperitis, ne quæſo, deſpicite aut contemnite, neve reſiſtite, ſed perceptum illum animi motum & attactum grati agnoſcite: Deoq́ue gratias agite, qui vos tantâ clementiâ ac miſericordiâ vocat. Ad Deum, peccatores, ad DEVM peccatrices. Mors imminet: DEVS verò, ceu indulgens amoriſq́ue Plenus Pater vos per has tubas benignè vocat. Heu reſpondete illi, atq́ue ex vitiorum lethargo, quo tot annos miſerè ſepulti oppreſſiq; iacetis expergiſcimini.

Fratres peccatores, ſorores peccatrices, fratres, inquam mei & ſorores, ad vos clementiſſimus Deus iucundū, ſed horrificum pariter harum tubarum mearum imò ſuarum ſonum tranſmit-
tit,

tit, vt vestræ saluti seruiat, vestrasque animas lucrifaciat. Vtinam intentio & voluntas eius parem exitum sortiatur. Orate pro me, ipse idem pro vobis omnibus facere non intermittam.



DE DISCESSV ATque abitu damnatorum ad inferos, in omnium Diabolorum comitatu. Res sanè quæ ingentem terrorem peccatoribus incutiat, vt à vitæ prauitate deterreantur, ad Deumque reducantur.

CAPVT XXIX.

E*T ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*: inquit Sanctus Matthæus. *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* inquit S. Ioannes.

Matt. 25.

Ioan. 5.

nes. *Et multi de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper.*

Hic siste paulisper gradum peccator, & mentem animumque in cogitationem horrendi illius spectaculi defige atque intende, quando miseri damnati cum tanto horrore pariter & squallore ac luctu in comitatu innumerabilium consceleratissimorum ac perditissimorum Diabolorum in tenebrosum infernum descendent.

O rem formidabilem: O rem, inquam, cuius terror pauorque cùm ipsum marmor confringat diffindatque: humanum tamen cor nihil mouet: O humanæ naturæ miseriam, quæ tam horrendo spectaculo non frangeris aut discinderis.

Perpende, peccator, simul atque miseri damnati desecrati, suæque condemnationis sententia prolata fuerit, terram subitò discessuram, cunctosque homines iuxtà ac Diabolos vno hiatu absorpturam, qui ingenti strepitu atque eiulatione in profundum obscuri, &

cali-

caliginosi Inferni barathrum descendent ac proruent.

O vesperam terribilem: O noctem lachrymabilem: quando fletus, luctus, ac lamentationes miserarum animarum suis iam corporibus reiunctarum perpetuò durabunt.

O cerbam illam & horrendam disiunctionem ac distractionem, cùm maritus ab vxore separabitur, vxor à marito, filius à patre, pater à filio, filia à matre, mater à filia: cùm illa in Cœlũ, hæc in Infernum ibit: cum illi omnibus bonis cumulabuntur, hi omnia mala perpetientur.

O Deus omnis misericordiæ, oculos cœcorum atque obstinatorum peccatorum aperi, quorum animos nunquam cogitatio subijt esse Coelum aut infernum: sed illud solùm agunt ac student, vt in cœno omnium vitiorum ac turpitudinum volutentur.

Surge, surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ephes. 5.
Ne ipse tibi parũper desis peccator, ne te ipse desere peccatrix, vt te Christus

ſtus iuuet. Ecce qui te per calamum meum vocat, quique te horriſonarum harum tubarum ſonitu è vitiorum ſopore, quo tot annos oppreſſus iacuiſti, excitare cuperet quidem, ſed *qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.*

Deus te creauit ſine te, peccator atque peccatrix, ſed non vult te ſaluare ſine te. Sed vult vt & tu pro tua virili labores, vult (vt rem paucis comprehendam) vt te pro tua parte tuiſque viribus ad conſilia & monita, quæ ab illo in te proficiſcuntur, accipienda aptum reddas atque idoneum. Atque illud eſt, quamobrem tibi doctrinam ſuam Deus per Concionatores annunciandam curet. Idcircò te per Confeſſores & Patres ſpirituales commonefacit. Hinc tibi per ſacros libros & ſcripturam loquitur, vt eos diligenter libenterque auſcultes. Quod ſi feceris, eam tibi fortaſſe gratiam impertiet (modo eam accipere velis) vt ad relinquendam vitæ prauitatem te pares atque inſtruas.

Vide quid agas miſer & infœlix. Etenim

enim si eius voces contempseris & pro nihilo duxeris, ipsumque fugeris, ille à te contemptus fugiet, tuque in malis tuis & miserijs manebis: & sic morieris, mortuusque damnabere *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* inquit scriptura sacra. Prou. 18.

Hem quis est qui non ad sexcentos mundos deserendos atque aspernandos commoueretur pelliceretur que, vt ne amitteret Deum? Quod si isthuc minus facere posset amore Dei, suâ tamen sponte & voluntate, ne tanta sibi mala accerseret, neu tot bonorum faceret iacturam? Non faceret ne Cœlum amitteret, & Infernum lucrifaceret?

Amittere Cœlum, non est assem aut titiuilitium amittere. Infernum acquirere, haud exigui momenti malum est, quodque in paruo discrimine ponere quis debeat, eone perueniat, an non.

Damnati in comitatu omnium Cacodæmonum in Infernum vadent imò præcipitabuntur. Vos quoque peccatores

tores nisi vos emendaueritis in eorundem numero eritis. Transibunt Beati in Paradisum; Vos quoque si vitam vestram moresque correxeritis, ijsdem annumerabimini. Abibunt Sancti omni bonorum genere fruituri: Vos quoque si volueritis, in hunc lætissimum numerum adscribemini. Vadent in Infernum miseri damnati perpetuis tormentis excarnificandi: Vos quoque nisi instituta vestra mutaueritis, ijs aggregabimini.

Euax, quæ erit illa Beatorum hilaritas & lætitia, cùm in Christi Iesu, eius matris Mariæ, omnium denique Angelorum, Sanctorum, Sanctarumque comitatu alacres & ouantes in Cœlum ingredientur.

O iucundissimam illam Beatorum Vesperam: O atram illam & infaustam vesperam damnatorum.

Resistite hic paulisper, fratres peccatores, & hunc pulcherrimum cœtum atque societatem contemplamini.

Aspicite, vt Cœlum clarissima luce resplendeat. Audite cantuum ac iubilo-

bilorum harmoniam. Percipite dulcissimã illã & melleã vocũ angelicarũ modulationẽ. Cernite vti Sãcti alacritate & lætitia circa Deum gestiant. Aspicite, quibus amplexibus Iesus Christus eiusque Mater singulos Sanctos Sanctasque excipiant & comprehendant. Videte quemadmodum Angeli triumphent. Audite quas laudes Angelorum chori in honorem IESV eiusque matris MARIAE decantent.

O iubilum: O lætitiam: O lætitiam, inquam, nunquam finiendam: O iubilum quod nunquam in animis fœlicissimorum horum Paradisi Sanctorum desinet. O vos terque quaterque beatos, quique iam ibi estis, quique eò properatis. Orate pro nobis vos, qui iam quidem animis ibidem estis, corporibus quoque deinceps futuri, vt & nos vestri tantorum gaudiorum ac lætitiarum socij esse mereamur.

O cœlestis Regina, Mater DEI, O MARIA Domina & Patrona nostra, pro me proque omnibus peccatoribus ora, vt nos quoque tuorum meri-

meritorum & precum beneficio in ſocietatem & contubernium tuum adſcribi mereamur, & tuum noſtrumque DEVM celebremus atque collaudemus.

O Deus cœleſtis, qui nos creaſti, ne preces noſtras deſpice: voces noſtras exaudi, nobiſque eam gratiam dona, vt ad tuam gloriam & honorem, à vitæ turpitudine abſiſtamus. Ne ingentia noſtra delicta, quæ admiſimus, neu innumerabiles iniurias, quibus ampliſſimam Maieſtatem tuam affecimus reſpice.

Agite dum peccatores bono eſte animo. *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Comparate vos tandem, peccatores fratres, proque virili veſtra contendite & elaborate, vt de diuina miſericordia certi eſſe poſſitis. Nam: *Miſericordia Domini plena eſt terra.*

Pſal. 24. *Tren. 5.*

Nulla ſub Cœlo in terra res creata exiſtit, vnde non mirabilem in modum dulciſſima ſuauiſſimaque miſericordia cle-

clementis, benigni, amantiſſimi noſtri Dei elucēſcat. Ac niſi nobiſmetipſi deſuerimus certi de ſalute noſtra ſumus: Is enim quantum in ipſo eſt, *Vult omnes homines ſaluos fieri.* 1. Tim. 2.

Heu peccatores fratres, & peccatrices ſorores, ſtatuite tandem atque decernite mundum prorſus contemnere atque deſerere, totaque mente & animo Deum colere & venerari, qui vos tanto amore complectitur, tot beneficijs ornauit, longeque pluribus ornare concupiſcit.

Ne cadite animis peccatores & peccatrices; neu dubitate quicquam: ad Chriſtum quàm poteſtis maximè contendite. Ego pro vobis ſpondeo, ego pro vobis fideiubeo. Venite fratres & ſorores ad Chriſtum Ieſum tam benignum: ego pro vobis ſpondeo, ego omnes homines peccatis obnoxios, qui ad Chriſtum Ieſum reuerti cupiunt ſecuros faciam, omnibus noxis condonatis ipſos benignè acceptum iri.

Huc fratres, huc ſorores, ne dubitate: venite ad dulciſſima ſua & amabilia Vulnera. Venite ad Crucifixum Ie-

sum. Ecquid cernitis ipsum distentis in cruce brachijs, vt vos amplectatur?

Ad Iesum peccatores, ad Iesum peccatrices: Ad Iesum qui neminem vnum reijcit aut contemnit; quod ipse expertus scio. Ad Iesum amoris plenissimum, qui omnes expectat, omnes vocat, omnes ardet. *Hic peccatores recipit.* An ignoratis scriptũ esse, *Quare cum publicanis & peccatoribus mãducat Magister vester? Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere,* inquit S. Paulus.

Luc. 15.

Matt. 9.

O Iesu amabilis, qui quicquid es, peccatoris es. O peccator ingrate, qui totus es Iesu. Quanta tua Iesu, est misericordia? quæ tua, peccator, est gratia? *Propter scelus populi mei percußi eum,* inquit æternus Pater de Filio suo Iesu. *Ipse tulit peccata nostra, in corpore suo super lignum,* inquit Esaias Propheta de Iesu nostro.

Esa. 53.

Si igitur Iesus tot ac tanta peccatori beneficia præstitit, eumque tantoperè amat, quem peccator & peccatrix ex-

timeſcetis? IESVS veſter amicus eſt. Ne igitur facite illi iniuriam: veni ad tuum IESVM peccator. Ecquid cernis quemadmodum te in ſancto crucis ligno præſtoletur manibus pedibuſque ſanctiſſimis tranſuerberatus vt ſpem tibi ac fiduciam addat ſe accedendi? Ieſus ille cruci ſuffixus meo omniſque abiectiſſimi peccatoris pectore & animo impreſſus ſit, vt ſuam quiſque vitam moreſque commutet, atque emendet, cùm ad ſuam ipſius ſalutem, tum ad gloriam & honorem ſanctiſſimæ Triadis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen.

(∵)





SEXTA TVBA.

DE DAMNO, QVOD peccatum affert animæ in Inferno, deq; atrocissima pœna qua damnati ibidem afficiuntur.

CAPVT XXX.

ET *Sextus Angelus tubâ cecinit.* Audite nunc peccatores, terribilem huius Tubæ & horrendum sonum: & videte num fortè cordis vestri penetrandi vim habeat.

Heu cordis humani miseriam, quæ sua se pertinacia & duritie perdit, seseque ad summum omnium malorum & miseriarum gradum atque apicem, vnde nulla spes est descendendi, extollit.

Illud, peccator aspice: Quemadmodum in rerum natura nulla res luce ipsoque sole ad aspectum pulchrior extat: sic in hoc & altero mundo, adeoque in omnibus Cœlis & mundis, etiamsi

iamsi innumerabiles & interminati essent, nihil pulchrius nihil iucundius, nihil amabilius aspici potest, quàm Deus.

O rem suauem intueri Deum! Intueri Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum. Intueri diuinam essentiam, quæ vna eademque inest in trium personarum singulis: quò omnis dulcedo, omnis suauitas, omnis pulchritudo, omnes thesauri atque opes referuntur.

Deum intueri, est res ad gustatum tam dulcis & suauis, vt Propheta cùm eam amisisset, aut amisisse sibi videretur dixerit: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus?* Psal. 41.

Sponsa amisso suo Sponso nullum vbi quiesceret locum reperiebat. Vnde *In lectulo*, inquit, *meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea. Num quem diligit anima mea vidistu?* Cant. 3.

Omnes Dei cultores & serui si quãdo in hoc mundo spiritum ac mentem aridiorem in se factam aduerterunt, neque solitas illas atque vsitatas dulcedines & consolationes sui sponsi senserunt, lamentabantur, eiusque inueniendi desiderio contabescebant: luctu, vigilijs, precationibus, clamoribus animum suum miserè defatigabant, infœlicissimos sese de quibus penè conclamatum esset, existimantes. Quin adeò hæc absentia longaque ab ipsis DEI seiunctio erat intolerabilis, vt non pauci eorum statum illum, (cùm anima nimirum DEVM perdidit suum) statum infernalem appellauerint.

Neque iniuriâ status infernalis videtur: quando damnati in Inferno Deũ amiserunt, non ad exiguum temporis spacium, non ad diem aliquem, non ad annum vnum, non ad mille, sed in omnem æternitatem. Adeò vt si damnatæ animæ his verbis interrogarentur: Nunquamne, miseræ, DEVM videbitis? omnes eadem voce responderent. Nunquam, nunquam, nunquam.

Et si rogarentur: Nunquam igitur, videbitis rem omnium quæ non modo oculis videri, sed desiderari quoque atque expeti possint, longè pulcherrimam? responderent vno consensu. Minimè, minimè. O igitur miseras animas, & calamitosas! Verùm si interrogarentur: Quæ tanti huius vestri mali causa est? lugentes & vlulantes responderent. Peccatum, peccatum, peccatum. O igitur detestabile peccatum! Et si ijs diceretur: Quot peccatis rem tam pulchram ac preciosam perdidistis, tamque iucundo spectaculo estis priuati? alius responderet, centum, alius mille, alius aliquot peccatorum myriadibus, alius denique innumerabilibus. Atqui quàm terribile illud tandem vobis & formidandum esset si quis responderet: Heu me miserum & infœlicem qui vnico duntaxat capitali crimine, quod ad temporis momentum durauit, memet rebus illis diuinis spoliaui.

Heu igitur miserum! tune ob vnicum peccatum condemnatus es? tune

ob vnum delictum adeo iucundo spectaculo es priuatus? sum, sum, sum, responderet ille.

Aduerte igitur, peccator, duo esse pœnarum, quas damnati in Inferno luunt, genera: quorum alterum pœnam damni, alterum pœnam sensus vocāt. De posteriori genere posteriùs, nunc de priori differemus.

Hæc igitur pœna damni, est damnum omnium damnorum grauissimum, & iactura omnium iacturarum maxima. Hæc est priuatio, quâ nulla maior possit excogitari: amisisse scilicet Deum, esse diuino conspectu priuatum, viuere absque Deo est omnium pœnarum, quas damnati patiuntur, qui nunquam DEVM vident, neque sperant, imò quibus exploratum est nunquam se eum visuros, maxima.

O pœnam intolerabilem! Immittet Deus in damnatorum animas summum earum rerum, quarum participes fieri nequeunt, desiderium ac sitim. Efficiet vt summum illud bonum, quod in Deo continetur, vtque maximam dulce-

dulcedinem & ſuauitatem, quæ ex Dei contemplatione oritur, intelligant, cognoſcantque hæc omnia per peccata ſua ſe perdidiſſe, omni ſpe ipſius intuendi deturbati.

Efficiet vt intelligant, quemadmodum Beati lætentur intueanturque Deum cum omni voluptate, quæ voluptas nunquam illos deficiet. Vnde damnati cruciatu & dolore contabeſcent.

Cognoſcent idem ſe conſequi potuiſſe, ſi in rectè factis ſeſe exercuiſſent, & aut à peccatis & vitijs abſtinuiſſent, aut eorundem iam perpetratorum illos pœnituiſſent: Quam ob cauſam ex dolore & pœna in furorem prolabentur, videntes ſe tempore excluſos maximum ſuum damnum & iacturã nullo modo poſſe recuperare.

O dulcedinem è diuino conſpectu profluentem! Sanctus ille Propheta cùm vel in hac vita Dei in mentem ſibi veniebat, dulcedine quadam langueſcebat, ideoque: *Memor fui*, inquit, *Dei, & exercitatus ſum: & defecit ſpiritus meus.* Pſal. 76.

Can. 2. Clamabat Sponsa in Cantico amoris dulcedine. *Fulcite me floribus*, inquiens, *Stipate me malis, quia amore langueo.*

O dulcissimum, O amantissimum DEVM! quàm dulcis es quamque Psal. 83. suauis. *Beati qui habitant in domo tua: in sæcula sæculorum laudabunt te.*

O infœlicissimos damnatos, fœlicissimos verò beatissimosque eos, qui in Cœlo versantur: quippe cùm hi semper Deum intueantur, seque in eo tanquam in speculo contemplentur. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.*

O voluptatem! O animi lætitiam quâ Beati perfruentur!

Videbimus eum sicuti est, peccatores. *Videbimus eum sicuti est*, in altera vita, in Cœlo, modò velimus, quemadmodum nunc eum Angeli omnesque Beati intuentur. Damnati autem nullo ipsum pacto vident, imo omni spe exclusi sunt ipsum vnquam se visuros.

Vidio

Vidimus eum ſicuti eſt. Ij, qui in hoc mundo defixis oculis ſolem eiuſmodi, ſicuti in pulcherrimo ſuo globo atque orbe conuertitur, intueri poſſent ita, ne acies radiorum luce ac ſplẽdore perſtringeretur aut lęderetur, fœlices ſe quodammodo prędicarent. Nos autem ſi vitam Chriſtianis dignam vti decet, traducere volumus, certiſſima ſpe nitimur & confidimus, nos Deum noſtrum, qui ſplendore ac pulchritudine ſexcentos adeoque innumerabiles ſoles, citra vllam comparationem exuperat, viſuros.

Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ promiſit Deus ijs, qui diligunt illum, inquit Sanctus Apoſtolus, & ante eum Eſaias Propheta. 1. Cor. 2.

Beati oculi qui vidẽt, quæ vos videtis, inquit IESVS CHRISTVS ſuis Apoſtolis, eò quòd ipſum in carne tantùm laboribus, acerbitatibus, morti denique etiam tum obnoxium videbant. Quid igitur nunc erit, intueri eundem ſpecioſum glorioſumque in Cœlo? Quid erit aſpicere illum

non tanquam hominem solum, sed etiam vti Deum, tanta pulchritudine tantaque gloria præditum, quanta nullis verbis potest enunciari? in omnium Sanctorum Sanctarumque cœtu, tantâ Angelorum ei ministrante multitudine?

Heu me, mente atque animo deficio, cùm isthæc cogitatione complector: Vos verò, fratres annon experimini, quantam subinde iucunditatem & oblectationem sentiatis, cùm de Deo cogitatis? an non aduertitis, cùm vel de rebus creatis interdum cogitatis, quatenus ad Deum Creatorem atque effectorem suum referuntur, quãtam dulcedinem percipiatis?

Hem, quantum illud, pulchritudinẽ Cœli empyrei atque amplitudinem contemplari? *O Israel*, inquit ille Propheta, *Magna est Domus domini, & ingens locus possessionis eius. Magnus est, & non habens finem: excelsus & immensus.*

Baruch.3.

Ioan.14.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt, inquit Iesus Dominus noster

ster suo ipsius sanctissimo ore. Hem quam multa variaque loca sedesque ac habitationes sunt in Cœlo quibus Sãcti fruuntur. Quid igitur vestræ nunc voluntati obstat? Quid impedit ne vos quoque cœlesti illa ciuitate donemini? *Iam non estis hospites, & aduenæ: sed estis ciues sanctorum, & domestici DEI.* inquit S. Apostolus. Eph.2.

Iesus Dominus noster, peccatores, inter ciues nos retulit, suaque morte & Passione nos hæredes Dei, suos verò cohæredes totius Cœli constituit. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Heu miseri quid (malum) vos tam ampla & præstanti hæreditate priuat? Peccatum. Exiguus aliquis & ventosus superbiæ fumus. Breuissima immũdi corporis voluptas. Effrenatum aliquod desiderium & exigua rerum humanarum cupido. Leuis aliquis odij impetus & vlciscendi studium.

Maledicta sint igitur omnia peccata, quæ nobis tot tantaque mala pariunt: vtpote quæ nos Cœlo ac Dei pulcherrimo

ritmo iucundiſſimoque conſpectu pri-uent. Priuant nos, inquam, iucundiſſimo Dei Patris & Domini noſtri conſpectu: quod omnibus damnatis in Inferno accidit.

Pater dulciſſime, Fili Dei benedicte, & Spiritus ſancte amoris & charitatis plene, pro tua immenſa clementia ne permitte ſummis illis & ampliſſimis tuis promiſſis excidamus. Ne ſine Domine Deus noſter benedicte Pater, Fili, & Spiritus Sancte, ne ſine nos tuo lętiſſimo conſpectu & in futura vita gloria, in hac verò gratia tua eſſe priuatos, Amen.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.



DE



DE IGNE INFERNI, deq́ʒ pœnis sensus, quas Damnati in caliginoso Inferno in cœtu & contubernio omnium Diabolorum perpetiuntur.

CAPVT XXXI.

PRæparata est enim ab heri tophet, à rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta eius ignis, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. *Esa. 30.*

Age nunc, peccator, refer animum ad grauissimas illas pœnas, quas nisi te emendaueris, in Inferno perpetieris. Ac primùm considera, in Inferno ignem quendam esse voracissimum, qui semper ardeat, nec vnquam miseros damnatos consumat. Hunc verò ignem ibidem esse Prophetæ Esaiæ authoritas palàm demonstrat.

Præ-

Præparata est ab heri. hoc est, ab initio conditi orbis locus quidem præparatus est, qui Tophet appellatur, quod Tympanum aut seductionem valet, hoc est, Infernum, quò omnes animæ à Mundo, Diabolo & carne seductæ atque deceptę, vadunt. Hanc autem Tophet, & hunc Infernum Rex ille regum Deus ad vindicandos execrandos Dæmonas, omnesque peccatores vlciscendos præparauit. *Profunda & dilatata.* Profunda est atque vasta Tophet illa, amplus est & ingens Infernus, inquit S. ille Vates Esaias. *Nutrimenta*, seu cibus horrendi huius loci est ardens ignis, magnaque lignorum vis & copia. Deus verò flatu suo ceu torrente igneo continuè incendit inflammatque.

Vnde, O peccatores, perspicuum est, Infernum esse locum quendam obscurissimum, in penitissimis terræ & altissimis cauernis, amplum & latè patentem, adeoque ingentē & capacē, vt etiā si animæ instar imbri illuc decidāt continenter: nunquā tamen expleatur.

tur. In hoc autem loco semper ignis ardet, qui sine intermissione Diabolos, miserosque damnatos excruciat, eosque excruciabit atque exuret in sempiternum.

Hunc ignem corporalem esse Sancti Doctores asserunt. *Ignem infernalem*, inquit S. Gregorius, *corporalem esse non ambigo.* Ac licet, *nullum corporale agat in spirituale* naturaliter: tamen virtute diuinâ ignis ille, qui corporalis est, eiusdemque cum nostro formæ atque naturæ mirabili quodam modo nunquam excruciare desistet omnes Diabolos, qui sunt puri spiritus, omnesque damnatas animas, quæ similiter corporum suorum sunt expertes vsque ad Iudicij tempus, post quam corpora quoque pariter cum ipsis in sempiternum ardebunt. S. Greg.

Heu miseri peccatores, hic est ille locus vobis destinatus ac præparatus, vbi vos quoque in omnium Diabolorum cœtu ac contubernio, nisi vosmet emendaueritis & ad Deum Dominum vestrum redieritis, ardebitis.

Ibi

Ibi nunquam non exuret vos horrendus ille ignis, in sempiternum, nec vnquam extinguetur. Nam (quemadmodum Esaias Propheta inquit) *Nutrimenta eius ignis, & ligna multa.* Neque deerit qui sufflet assiduè. *Nam flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

Hic verò nullo modo arbitrari vos oportet, in Inferno ligna esse, extruendo igni necessaria; Verùm sacra Scriptura eam ob causam ita loquitur, vt commodiùs ac rectiùs intelligentiæ nostræ, quæ res naturales meliùs comprehendit ac percipit, insigatur. Neque etiam illud non dici potest, per ligna intelligi Diabolos atque animas ante iudicium, & post iudicium miserorum quoque damnatorum corpora. Quemadmodum enim ligna in ignem conijciuntur: sic Diaboli atque animæ ante iudicij tempus, & post illud corpora quoque illarum in eo versantur.

O summam miseriam ac calamitatem, in quam peccator incidet! siquidem Infernus illi subeundus est, vbi æter-

ter-

ternùm ardebit, nec vnquam abſumetur.

Attende nunc paulifper, peccator, quemadmodum vel vnum digitulum ſpatio quod Salutatio angelica poſſet pronunciari, citra dolorem incredibilem in igne ſuſtinere poſſes: Attamen iuxta Doctorum ſententiam hic noſtras ignis ſi cum Inferni igne comparetur, depicto ſimilis eſt. O miſeriam! admoue parumper digitum igni depicto, nullum inde ſenties dolorem, Inijce quoque eundem vero igni, ſufferre non poteris. Eodem prorſus modo ibi res ſe habebit. Talis tantuſque eſt ignis Inferni, talem quoque tantumque animæ parit atque affert cruciatum, vt ſi quis ex Inferni igne animam quampiam extraheret & eximeret, eamq; in vaſtam aliquam noſtratis ignis fornacem inijceret, propter æſtum illum intolerabilem, quem in igni Inferni pati ſolebat, recreationem ſibi quandam & refocillationem percipere videretur.

Quid aïs, peccator? Quod ſi hæc vera eſſe negaueris, falſum aſſeres, neque

ſa-

sacram Scripturam multis locis audies: omninoq; refragaberis illi, quod superiùs ex Esaia Propheta in medium protulimus.

Quod si hoc tibi non satisfacit, quâ quæso ratione fidem abrogabis ei, quod sacrum Euangelium in parabola diuitis Epulonis, qua Dominus noster IESVS Christus vsus est, commemorat?

Luc. 16. *Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Et cùm esset in tormentis, vidit Abraham, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremitatem digiti sui in aqua, vt refrigeret linguam meã, quia crucior in hac flamma.*

Audin' scelerate peccator, quid sacrum Euangelium dicat? audin' quo nomine ignem appellet? *Quia crucior in hac flamma.*

Matt. 8. Audi quid ipse Christus alibi de Inferno loquens dicat: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Duas hoc loco terribiles Inferni pœnas Dominus exprimit atque declarat, cùm inquit: *fletus*

tus & stridor dentium. Nam per fletum in Inferno ignem esse, indicat: quemadmodum ignis semper fumum coniunctum habet, qui quòd oculos lędat atque offendat, fletum progignit. Cum autem inquit: *Stridor dentium*, vehementissimum in Inferno frigus esse demonstrat, propterea quòd qui illud patiuntur, dentibus strideant.

Hæc quoque duo pœnarum genera Iob subindicat, quando. *Ad nimium calorem*, inquit, *transeat ab aquis niuium*. Heu miseri peccatores, quàm atroces pœnæ vos manent! eò quòd in inferno è frigore in calorem atque æstum, atque hinc rursum in frigus, è flammis in niuem, è glacie ac gelu in ignem maximo cruciatu, ac dolore miserrimi animi vestri intolerabili. *Iob. 24.*

Quantus verò dolor sit ex igne transire in glaciem ac gelu, ex hoc intelligere facilè potestis. Neque enim quisquam vestrum ignorat, si quando casu aliquo manus frigore vobis riguerunt, easque posteà recalfacturi seu igni admouistis, seu calidæ imposuistis, quam in-

ingentem dolorem senseritis, propter vim caloris, qui subitò ac violenter vngues penetrans frigus expellere nitebatur.

O humanam miseriam ac calamitatem! Quem dolorem ac cruciatum sensurus esses, peccator, si æstate in maximis illis, sole leonis signum ingresso caloribus, tum cùm sudore vndique perfusus, & caloris æstu totus arderes, in cisternam aquæ frigidissimæ seu niuis, aut gelu plenam conijcereris, quis inquam, dolor, quod tormentum illud peccator, foret? Procul dubio morte subitò extinguerêre.

Heu te igitur miserum, quin nunc de horrendis illis atque intolerandis frigoris, caloris, atque ignei ardoris pœnis, quas in Inferno sustinebis, cogitas?

Matt. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, dicet Iesus Christus pro tribunali sedens miseris damnatis. Vnde ipsâ luce clariùs apparet, in Inferno esse ignem. *Discedite à me maledicti*, inque ignem sempiter-

num

num abite non vobis quidem illum, sed Diabolis comparatum. Verùm cùm vos quoque vestris factis atque operibus idem supplicium commerueritis. *Discedite à me maledicti*, inque cœtu omnium Diabolorum descendite, vt vnà cum ijs excruciemini tormentis sempiternis.

Quid nunc peccator, inquies? fidem derogabis sacro Euangelio? verbis veritatis? verbis Christi, qui est ipsa veritas? Si isthoc feceris, eris hæreticus, si hæreticus, cum omnibus quoque hæreticis omnibusque ijs, qui assentiri noluerunt, reipsâ experiê-re. Amen.

(∴)



DE



DE DIVERSITATE suppliciorum, quibus miseri damnati in Inferno absq; vlla intermissionis spe afficientur.

CAPVT XXXII.

Apoc. 18. *QVantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date ei tormentum & luctus.* inquit S. Ioannes in Apocal.

His verbis diuina iustitia vtetur, peccatores, vbi in Inferno eritis, quod Deus prohibeat. Iustitia Dei aduersus vos clamabit, iubebitque vt Dæmones vos pro scelerum ac commeritorum vestrorum ratione modoque excarnificent.

Audite peccatores, quanta suppliciorum vos diuersitas in Inferno maneat. Percipite miseri atque infœlices, varia illa & multiplicia tormenta, quibus in Inferno ob flagitia vestra afficiemini,

mini, certiſſimi nunquam vos illinc exituros, nec vnquam vel tantillum refectionis aut quietem vel minimam conſequuturos, nec à diuerſis illis pœnarum generibus liberandos.

Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremitatem digiti ſui in aqua, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Sic loquutus eſt diues ille Epulo ſi fortè meminiſtis. Diuerſa variaque ſupplicia conſtituta ſunt, O miſeri, in Inferno, eademque atrociſſima omnia: ex quorum alio ad aliud vt nonnihil reficiamini, viciſſim rapiemini. Hæc erit veſtra, miſeri, refocillatio, hæc requies. Nam poſteà quam in tormento ac cruciatu aliquo longiſſimo interuallo verſati fueritis, ad aliam pœnam longè maiorem rapiemini.

Innumerabilia quidem ſupplicia vobis, miſeri atque infœlices peccatores ſunt comparata, quæ tamen à ſacra Scriptura & ſanctis Doctoribus ad decem præcipua genera reducuntur.

De primo iam explicatum eſt, qui eſt

 ignis

ignis Inferni omni luce vacans, fœtens atque ardens. Et quo vehementiori affectu ac motu animi peccatum in hoc mundo commiseritis, hoc maiore quoque seueritate & iustitiâ Dei ab ipso puniemini. Adhæc quantò maiorem inter committendum flagitium ac scelus oblectationem percepistis, tantò acerbiorem cruciatum & pœnam ignis ille infliget.

Heu vobis, qui omnia ad corporis voluptates ac libidines retulistis, vobis præcipuè ignis ille comparatur, vt vos puniat, vlciscatur, comburat, nec vnquam tamen absumat. Nam cùm peccantes libidinis ardore inflammati fueritis, maiorque in vobis impuritatis fœtor, & corporis oblectatio extiterit, ideò supra modum ignis ille ardens, fœtens, graueolens, & sulphureus in vos sæuiet. *Quantum hæsit amor*, inquit S. Augustinus. *tantum affliget dolor*. S. August.

Heu miseri, reputate vobiscum, si ob vnumquodlibet crimen lethale tanta vobis perpetienda sunt & sufferenda, quid vobis fiet, qui toti omni impuri-
tatis

tatis & carnis ſpurcitiei cœno conſperſi eſtis?

Quid vobis Epicuri porci fiet, qui tot annos in vitijs atque flagitijs eſtis verſati? Quid te mœche fiet, qui tot annos cum concubina conſuetudinem habuiſti?

Quid te fiet impudentiſſima meretrix, quæ tot annos in publico lupanari verſata es, omnibus prætereuntibus corporis tui factâ poteſtate? Quid te fiet inuerecunda mulier, quæ ſignis, riſibus, ornamentis, & fucationibus in te tot incitaſti, inuitaſti, traxiſti? Quid te miſera fiet, quæ turpibus tuis & obſcœnis actionibus atque inuitamentis ad te tot allexiſti? Quid te miſera fiet, quæ tot animas Chriſto furata es, inq; Infernum condemnaſti?

Heu miſeri voluptarij, viri iuxtà ac mulieres, qui ſine fræno vllo delinquitis, nullâ hominum verecundiâ, nullo Dei metu, quid vobis fiet?

Heu peiores ac ſceleratiores ipſis Diabolis viri ac mulieres, qui abominandis iſtis, & quæ nominari nefas eſt

flagi-

flagitijs contaminati eſtis! Heu, qui ipſam naturam euertitis, quid vobis fiet? quæ ſupplicia, quæ tormenta vos in Inferno manent? Quis pœnas illas innumeras, quæ in Inferno vobis conſtitutæ ſunt, non dicam numerando recenſere, ſed vel cogitando complecti poſſit?

Aduertite miſeri peccatores, vos verò præcipuè qui corporis voluptates ac libidines tanto ſtudio conſectamini, quid nunc ampliùs de Inferni igne dicturus ſim. Nullum dubium eſt, miſeri, quin, tametſi in Inferno vnus quidam communis ignis ſit, qui omnes Diabolos ac miſeros damnatos ſupra modum excruciet, atque extorreat: tamen diuerſis Inferni locis ac partibus varij quoque ignes ſint futuri: quorum alij alijs erunt maiores, ardentiores, graueolentiores, & ſæuiores, vt in ijs diuerſi peccatores, pro diuerſis ſcelerum ſuorum commeritis puniantur.

2. Verùm ad ſecundum ſupplicium accedamus: vbi miſer peccator perpendito, in Inferno præter atrociſſimum il-

illum ignem, frigus quoque fore intenſiſſimum, quod aliâs magis, aliâs minus peccatores, prout ſceleribus grauiùs leuiusve fuerint contaminati, penetrabit.

Heu vos pigros, ſocordes ac frigidos in diuina religione & cultu, vobis præcipuè extremum illud frigus inenarrabiles cruciatus ac tormenta infliget, vobis animos veſtros inſtar glaciei conſtringet, efficietque vt dentibus ſtrideatis, quemadmodum Dominus inquit: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Matt. 8.

3. TERTIVM pœnarum genus erit horrenda ſpecies atque deformitas Vermium, qui vos mordebunt, atque acutiſſimis morſibus pungent. *Vermis eorum non morietur*, inquit Eſaias. *Vim dicta carnis impij, ignis & vermis*, inquit Sapiens. *Dominus omnipotens*, inquit Iudith, *dabit vermes in carnes eorum.* Peccatores verò quantò in hac vita turpioribus, fœdioribus, magis enormibus vitijs ac flagitijs ſeſe oblectauerint, tantò quoque in Inferno fœdioribus magisque hor- Eſa. 66. Eccl. 7. Iudith. 16

rendis serpentium, bufonum, draconum aliorumque animalium monstris, hoc est Dæmonibus animalium istorum formâ ac specie indutis excruciabuntur: tametsi quidam Doctores asserant & contendant, eiusmodi animalia reipsa illic existere, vt eò grauiora miserorum damnatorum tormenta euadant. Heu te igitur miseram mulierem, quam carnalis impuritas tantoperè delectauit. Perpende, te in Inferno sæpe numerò à serpente, bufone, dracone, aut his etiam fœdioribus magisque horrendis animalibus circumplicatam & cinctam iri: quæ animalia immundo, tetro & sanguinolento suo ore te osculabuntur, venenosos suos dentes tibi infigent, caudis suis & vnguibus te circumuoluent ac constringent, os, gulam, pectus reliquasque miseri tui corporis partes, vnde voluptatem aliquam captasti, incredilibus cruciatibus & tormentis afficient. O miserias & ærumnas! O rem inauditam! Hæc tamen miser peccator secum non reputat. De hisce misera peccatrix rarò, aut nunquam veriùs cogitat. Heu

quot

quot reperiuntur, qui quando minimè opinantur, intùs versantur. Heu quot sunt, qui tanto annorum spatio foedissimis corporis cupiditatibus & libidinibus dediti fuerunt, & momento citiùs in profundissimo Inferno se esse adnimaduerterunt.

Ducunt in bonis dies suos: in puncto autem ad inferna descendunt inquit Iob. O calamitatem cæci stultique mũdi, qui se ipse tam miserum in modum perdit.

4. Quarta pœna Inferni est intolerabilis ille foetor, qui miserorum damnatorum odoratum extremo cruciatu afficiet. Qui foetor à sacra Scriptura foetor sulphureus indigitatur. *Ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.* inquit Psalmista. *Pars iniquorum erit in stagno ardenti igne & sulphure,* inquit S. Ioannes in Apocalypsi. Psal. 10. Apoc. 21.

Causa quamobrem ignis, frigus atque foetor inferni tam ingentia sint & intolerabilia, hæc est: quòd nusquam queunt exhalare, sed in infer-

no intra concauos terræ meatus concluduntur ac coercentur. Non aliter atque ignis in fornace vndique occlusâ ardentior est quàm si pateat, quà flamma, ardor atque ignis possit euaporare.

Perpende paulisper, peccator, & considera quantum fœtorem sensurus esses, si in cloaca quadam omni spurcitiæ referta inclusus tenereris, vnde nihil posset exhalare, vbi fœtida iacerent cadauera, vbi ignis & fœtor è sulphure alijsque graueolentibus rebus commixtus esset. Age nunc ex hoc animum & cogitationem tuam ad fœtorem Inferni & tormenta refer: quando in inferno damnatorum corpora, quàm canum aliorumque putidissimorum animalium cadauera citra comparationem vllam grauiùs fœtebunt: non aliter atque Beatorum Cœlestium corpora in omnes partes odores incredibili suauitate emittent atque diffundent.

Considera igitur, peccator, qualis fœtor ille Inferni futurus sit, vbi tot damnatorum virorum & mulierum cor-

corpora erunt, non per vnum diem, sed (eheu humani generis cæcitatem, quæ nunquam isthoc perpendit) sed in omnem æternitatem. Inclusi simul omnes ibi damnati tenebuntur, alio super alium insistente, alioque alium fœtore inficiente. *Sicut oues in Inferni positi sunt, mors depascet eos*, inquit Propheta. Psal. 48.



DE QVINTA, SEXTA, cæterisq; suprà commemoratis atrocissimis & intolerandis pœnis, quas damnati in Inferno patiuntur.

CAPVT XXXIII.

QVinta Inferni pœna erit, perhorrendus Cacodæmonum & damnatorum conspectus qui omnes deformi, fœdâ, aspectuque intolerandâ specie præditi apparebunt: quippe cùm viri damnati iuxtà ac mulieres ipsis Diabolis consimillimi erunt.

Cogita parumper, miser peccator, quàm fœdi tibi mortui in sepulchris videantur. Considera quàm ingenti horrore te mortui alicuius viri aut fœminæ cadauer, simul primùm emigrauit anima, afficiat. Perpende qualem emittat fœtorem, quando vix vno die in sepultum iacet. Tecum reputa quàm horrenda sint & graueola mortuorum corpora triduo aut quatriduo sepulta. Ioan. xi. *Domine iam fœtet, quatriduanus est*, ait Martha Domino.

Perpende nunc paulisper, non posse cum his corpora damnatorum hominũ nec fœditate nec fœtore vllo modo comparari.

Heu miseri mortales, in vos ipsos crudeles atque immanes, quid agitis? cur tam miserum in modum pro nihilo vos ipsos damnatis?

Considera, miser peccator, si vnius alicuius Dæmonis aspectus quacunque specie aut formâ, animalis etiam non formidabilis tantum terrorem tibi inijcit. Perpende, si Diabolum quẽpiam suâ ipsius figura, quin morereris, non possis aspicere, quid futurum sit, cùm

cùm intueberis in Inferno tot Diabolos, tot viros, tot fœminas pari atque eodem horrore ac fœditate?

Eheu miseri peccatores quid erit illud, videre in Inferno tam innumeros Cacodæmonas fœdissimos crudelissimosque huc illuc per Infernum ingenti clamore ac tumultu concursantes, qui scuticis ac loris nunc in hunc nunc in illũ virum atque fœminam sæuient eosque excarnificabunt. Siquidem, vt author est Dionysius, teterrima quædam in Dæmonibus phrenesis & furoris amentia inest.

6. Sexta miserorum illorum pœna erit insatiabilis, inexplebilis, atque ardentissima fames qua gulæ proceres, omnesque ij excruciabuntur, qui in exquisitis epulis, conuiuijs, compotationibus, nullâ ratione habitâ voluptatem ponunt, bestiarum atque brutorum animantium ritu: qui ieiunia à Sancta Ecclesia instituta soluunt, nihil Quadragesimam & pœnitentiæ tempora à Sancta matre Ecclesia ad

salutem animarum suarum instituta faciunt: potitant, esitant, deuorant atque consumunt non sua tantùm ipsorum bona ac fortunas, sed misellarum quoque viduarum atque orphanorum. Quibus Iesus Christus in Euangelio hanc ob causam his verbis comminatur: *Væ vobis, qui saturati estis: quia esurietis.* Per os quoque Prophetæ Esaiæ idem Deus loquitur: *Ecce,* inquiens, *serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce, serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce, serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce, serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.*

Luc. 6. Esai. 65.

Proinde Sapiens isthoc nobis dat consilium: *Ante obitum,* inquiẽs, *tuum operare bonum: quoniam est apud inferos inuenire cibum.*

Eccl. 14.

Heu insane gulose, perpende ingentem illam famem & sitim, quam in Inferno patieris, vbi nihil erit præter tuam ipsius carnem, quo vescare. *Vnusquisq; carnem brachij sui vorabit:* in-

Esa. 9.

inquit Propheta Esaias, de damnatis loquens.

Scin' miser gulose, quinam tuus cibus in Inferno futurus sit? Absynthiũ & fel. *Ecce ego citabo vos absynthio & felle*, inquit Deus per os Prophetæ Ieremiæ. Scin' quæ tua futura sit esca, peccator? mors ipsa. *Sicut oues in Inferno positi sunt, mors depascet eos*, inquit Propheta. Heu miseri atque amentes gulosi, quid tum tandem agetis, quando nihil quo vescamini habẽtes fame enecabimini? Ac licet quicquid in vniuerso orbe ciborum est vobis subministraretur, his tamen minimè satiaremini. Iere. 23. Psal. 28.

Septima pœna eris sitis intoleranda. Quemadmodum hac acerbissimè diues Epulo cruciatus fuisse legitur: *Vt refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma. Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam & potandum vsq; ad vesperam, vt vino æstuetis*, inquit Propheta Esaias. *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad* Luc. 16. Esa. 5. Prou. 2.

vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, inquit Salomon.

Heu miseri & dementes Auari, immanes atque impij, qui sitienti nunquam vel aquæ poculum, nec inopi atque esurienti panis bucceam dare voluistis, vos præter cæteros maximè fames sitisque excruciabit.

Luc. 16. *Fili recordare, quia recipisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Sic diuitem Epulonem Abraham affatur. Idem vobis diuitibus Auaris, immitibus atque immisericordibus dicetur.

Heu quàm crudelem in modum fame cruciabuntur omnes ij, qui in hoc mundo vino atque exquisitis epulis, nec non bonis pauperum & inopum, &
Apoc. 14. ad Ecclesiam pertinentibus facultatibus sese expleuerunt. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, & requiem non habebunt die ac nocte*, inquit S. Ioannes in A-
Psal. 48. pocalypsi. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem*, inquit Psalmista.

8. Octa-

8. Octaua illorum miserorum atque infœlicium damnatorum pœna erit, quòd constricti erunt & colligati, asserente Domino in Euangelio: *Ligatis manibus & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores. Iniquitates suæ capient impium, & funibus peccatorum suorum constringetur*: inquit Salomon. *Congregabuntur congregatione vnius fascis, & claudentur in carcere. Alligate ea in fasciculos ad comburendum.* inquit Dominus de zizanijs, agri differens, per quæ damnati & reprobi intelliguntur.

Perpende, peccator quanta fascium vis virorum & mulierum in Inferno futura sit. Nam ij, qui eidem sceleri affines fuerunt, paribusque flagitijs sese contaminarunt, simul in eundem fascem atrocissimo cruciatu colligabuntur: Gulosi pariter, Auari pariter, libidinosi pariter.

Heu vobis, qui inimicis & hostibus vestris ignoscere nequiuistis, neque eos aspicere potestis, quid tum facietis? quando cum ijs constringemini, qui-

quibuſcum in hoc mundo ſimultates atque inimicitias geſſiſtis.

9. NONA pœna erunt obſcuriſſimæ tenebræ, & denſiſſima caligo. Iob.10. *Terra miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, inquit Iob.

Verùm licet magna ibi futura ſit tenebrarum obſcuritas: tamen damnatorum alius alium diuinâ iuſtitiâ videbit, vt ex mutuò illo contuitu grauiora tormenta ſuſtineant.

10. DECIMA pœna eſt tanta fœditas immundiſſimi, fœtidiſſimi ſummeque horrendi Inferni, vt nihil cum ea comparari poſſit.

Age nunc peccator conſidera, te in hoc loco concluſum & coarctatum iri, omni ſpe te vnquam inde exiturum ademptâ.

O calamitatem mortalium & miſeriam, qui ſe ipſi pro nihilo dant eò præ- 2. Cor. 4. cipites, ac damnant. *Quæ videntur temporalia ſunt, ſed quæ non videntur æterna*, inquit S. Apoſtolus.

Oblectamenta vestra peccatores breuia sunt; tormenta Inferni (siquidem eò vosmet præcipita veritis) sempiterna. Voluptates vestræ instar venti auolant; pœnæ vestræ semper manebunt. Delectationes vestrę fumi ac nebulæ in morem deficiunt atq; euanescunt; cruciatus vestri nullum finem obtinebunt.

Heu igitur peccatores miseri, quin ad Deum reuertimini? cur scelera ac maleficia non relinquitis? cur Diabolum hostem vestrum immanissimum & capitalem non fugitis, qui omnes in omnia scelerum ac fraudum genera pertrahit, vt vos in horrendum istum locum, vnde nunquam exibitis, sed in sempiternum viuetis, deturbet.

Vę vobis peccatores, & peccatrices, qui ita viuitis, veluti si nunquam morituri essetis. Væ vobis infœlices peccatores, & peccatrices, qui non aliter vitam traducitis, ac si animæ expertes essetis, nec vsquam foret Infernus.

Iesus pro sua clementia & miseri-

cordia

cordia vestros, miseri peccatores, oculos aperiat. Iesus propter mortis & Passionis suæ dignitatem atque præstantiam vos immutet atque conuertat. Iesus & Maria vos in rectam veramque semitam reducant, vt ne tam miserabilem in modum condemnemini, Amen.



VARIIS EXEMPLIS declaratur, quam graues, horrendæ, atque atroces sint Inferni pœnæ. Beati ij, qui fructum hinc percipient; Nam si peccatores animum suum & cogitationem ad illas referent, effugient eas.

CAPVT XXXIV.

AGite, peccatores, si quàm optimè potestis cupitis cognoscere, quàm terribiles sint pœnæ Inferni, studiosè attenteque præsens caput legite. Quo facto nisi peccata, quemadmodum decet,

cet, euitare conſtitueritis, illud vobis affirmare licebit, res veſtras in peſſimo loco meritò verſari: quin planè de veſtra ſalute deſperare poteritis, certi, ſi lethali crimini obnoxij deceſſeritis, illas vobis pœnas ſuſtinendas, quas eſſe modò aut non creditis, aut licet credatis, nequicquā tamē ad deſerenda vitia mouemini.

Legimus in ſpeculo exemplorum, Virum quendam ſanctitate præcellentem, cùm damnatorum pœnas, & Beatorum gloriam quodam tempore videre cupiuiſſet, ab Angelo aliquo in Infernum fuiſſe conductum: vbi inter cæteras perhorrendas pœnas patrem quendam vidiſſe dicitur, qui ſuum ipſius filium ſimiliter damnatum deteſtabatur atque execrabatur maledictis adeò horrendis, vt vel ſaxa, adeoque ipſa marmora confringere valuiſſent.

Eſto maledicta (inquit miſer ille parens) hora illa, cùm te procreaui. Eſto maledictum corpus tuum atque anima. Eſto maledictum caput, manus, pedes tui. Eſto maledictum cerebrum

brum & cor tuum. Esto denique maledictum quicquid tuâ gratiâ vnquam dixi, feci & cogitaui: Ego siquidem, vt te opulétum redderem, fœnerator fui, mandata Dei transgressus: quam ob causam nunc in his atrocissimis pœnis & cruciatibus versor. O miseriam acerbissimam?

Filius ex contraria parte patrem hac oratione execrabatur. Esto tu scelerate pater, qui me generasti maledictus. Esto maledicta hora illa, cùm te matri meæ ad procreandum me coniunxisti. Esto maledictum quicquid vnquam in tui gratiam feci. Esto maledictus honor ille, & reuerentia, quam tibi homini improbo, & scelerato præstiti: propter te enim in hos cruciatus & tormenta incidi. Heus Diaboli vindictam atque vltionem meam exequimini, sceleratum istum hominem, propter quem in hunc locum deueni punientes: vt qui me nullam rem aliam docuit, præterquam in vita & vestitu superbiam arrogantiam ac luxum, in victu voracitatem atque immoderationem.

Hinc Angelus in Paradisum eundē con-

conduxit, vbi contrà parentes audiebat filios suos his verbis benedicentes. Estote millies benedicti filij mei, qui mihi fuistis tam morigeri atque obedientes: qui cum metu Dei nostri, quẽadmodum à me edocti fuistis, vitã traduxistis. Sint animæ vestræ & corpora benedicta. Sint benedicti omnes labores & molestiæ, quas pro vobis vnquam suscepi & sustinui. Esto benedicta hora illa, cùm vos procreaui. Esto benedictus panis, quem vobis quæsiui & lucrifeci. Sint benedicta denique vestimenta, quæ vobis subministraui.

Filij ex altera parte: O charissime atque amantissime pater: Esto benedictum corpus, & anima tua. Esto benedictus dies ille, cùm nos procreasti; siquidem hac ratione ad tot tantaque bona, & gloriam aditum nacti sumus. Sint omnes horæ benedictæ, quibus tibi inseruiuimus, tibi obtemperauimus, te honorauimus, qui te nobis tam bonum patrem exhibuisti, & nos quà verbis, quà vitæ exemplo docuisti, quemadmodum nos cultum, obedientiam, & honorem Deo nostro præstare conueniret. Ma-

Matres verò suas his verbis alloquebantur: Estote benedictæ matres nostræ dulcissimæ, quæ nos in fortunatis vestris corporibus gestastis. Sint benedicta vestra viscera, quæ nos tulerunt. Sint benedicta vestra vbera quæ nos lactarunt. Sint benedicti vestri pedes, qui tanta pro nobis viarum spatia confecerunt. Sint benedictæ vestræ animæ, quæ tanta bonitate, totque virtutibus fuerunt ornatæ, vnde nos honestè sanctèque viuendi rationem didicimus, eaq; re digni iudicati, qui res tàm præclaras atque diuinas obtineamus ijsque in hoc Paradiso perfruamur.

Hei peccatores & peccatrices considerate parumper, in quorum numero vos in altera vita sitis collocandi, quibusve adscribendi. Expendite quò sitis peruenturi.

Infernus iuxta ac Paradisus præparata sunt, ô peccatores, & peccatrices: ille quidem peccatoribus atque improbis hominibus destinatus: hic verò perditis fœminis non comparatus. Cogita igitur ad extremum de moribus vestris

ſtris atque inſtitutis commutandis, ſi hunc obtinere, illum euitare concupiſcitis. Paradiſum ſoli probi, Infernum omnes improbi adipiſcentur.

Legitur in vitis SS. Patrum S. Macarius Abbas cum per deſertum quodam tempore obambulaſſet, in hominis mortui caput quod humi iacebat incidiſſe, quod cum baculo ſuo percuſſum interrogaſſet, cuius fuiſſet: reſpondit ſacerdotis cuiuſdam Gentilium, qui olim hoc loco habitaſſet, nunc in Inferno grauiſſimis tormentis excruciaretur, in conſortio & cœtu Iudæorum, & improborum Chriſtianorum; quorum illi in Ieſum Chriſtum non crediſſent: hi illi neque paruiſſent, nec vitam ad fidem ſuam conformaſſent. O rem mirandam atque obſtupeſcenndam! Audite peccatores & peccatrices, quid præterea ſubiunxerit. Dicebat enim damnatos in Inferno tantam vim ignium ſuper caput ſubterque pedes habere quantum eſſet intra terrã cœlumque interuallũ. Quibus illud itẽ addebat, in Inferno ſubter Paganos

Iu-

Iudæos consistere, subter hos Christianos qui malè vixissent, quique cum Christum cognouerint, non tamen voluntati eius, vti par eras, & sicuti doctrinâ simul & vitæ exemplis eos docuerat, paruissent. Quibus rebus auditis S. Macarius in hæc verba exclamauit: Væ diei illi, quo is homo in hanc lucem susceptus est, qui vitam suam nō eo pacto instituit, vt hos crudiatus, tāque horrenda tormenta euitare possit. Legitur de Monacho quodam, qui cùm coquendo fratribus operam nauaret, tantùm non assiduè lugebat, cumque de luctus sui causa interrogaretur, respondit intereà dum coquens ad ignem adstaret, assiduè animo suo ignem Inferni obuersari. Sibi quoque ita persuadebat, se cùm fratribus inseruiret, nō tamen hominibus, sed Deo inseruire; ideoque sese indignum illo officio iudicabat.

Legitur in libro Scalæ Cœli scurra cuiusdam Principis, cùm acris & vehementis Ecclesiastis cc n ionem aduersus huius mundi illecebras, deque Inferni pœnis audiuisset, eamque postea

steà coram Principe suo alijsque enar-
rasset, hanc similitudinem protulisse.
Enimuerò, Domine, Si me, qui totus
mundi voluptatibus & vanitati tanto-
perè addictus sum, contagiosissimo le-
cto per annos duntaxat viginti alliga-
res, certissimè hoc tibi promissurus es-
sem, me omnia vanitatis genera vt li-
beraret, missa facturum. Quantò po-
tiùs igitur, ne atrocissimis ijsdemque
æternis Inferni pœnis ligati afficia-
mur, ab omni vitiorum ac vanitatum
genere abstinendum erit? Et si hucus-
que diuinam Maiestatem offendimus,
aspera & seuera pœnitentia agenda
est, ne in horrendos illos & formidan-
dos cruciatus incidamus.

Legitur in Discipulo frater quidam,
cùm iam in mortis procinctu staret, vi-
disse Diabolum figurâ vsque adeo ter-
ribili, vt horrendum in modum inci-
peret vociferari. Cumque fratres eum
huius rei causâ percunctati essent, re-
spondit, sibi visum quoddam Diabolo-
rum tam horrendorum fuisse obie-
ctum, vt, si iterum interrogaretur, mal-
letne de integro illud intueri, quàm in-

tra fornacem includi, responsurus fuisset, se citra vllam deliberationem in ardentissimum rogum aut fornacem inijci malle.

Legimus in Promptuario discipuli, duas in Monasterio quodam fuisse Moniales à cæteris perquàm religiosas & spiritales iudicatas; quarum cum altera mortem obijsset, altera quæ magna cum illa familiaritate vsuque coniuncta erat continuè pro eadem orabat, vehementissimè quid de illius salute actum esset cupiens cognoscere. Ecce verò cum nocte quadam post preces matutinas in templo esset, defunctæ suę amicæ vocem audit, quæ Responsorium de defunctis cantabat, quod sic habet: *Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem timor mortis conturbat me. Quia in Inferno nulla est redemptio.* Hic verò subsistens reliquam Responsorij partem subticebat, nempè: *Miserere mei Deus, & salua me.* Monialis viua, hanc vocem exaudiens exhorruit non nihil, sed postquam se recepisset: cur, exclamat soror mea,

mea, reliquum non persequeris? cur non dicis. *Miserere mei, Deus, & serua me?* respondit mortua, scito soror mea, me esse damnatam, nec proinde veniam à DEO me posse impetrare. Quin illud quoque tibi affirmo, etiamsi Virgo Maria totaque cœlestis aula pro me deprecarentur, nihil tamen hoc mihi quicquam profuturum; propterea quòd pœnis adiudicata sum sempiternis. Heu me subiungit viua, quid rerum ex te audio? Qui fieri potest, vt tu condemnata sis quæ tam piè & spiritaliter vixisti? Scito, respondet mortua, me esse damnatam. Nam cùm adhuc in vita essem, contra honestatem & verecundiam semel deliqui, quod præ pudore nunquam confessa sum; ideoque quotcunque opera bona feci nihil mihi profuerũt. Quid multa? damnata sum. Ingenti quoque clamore atque vlulatu dixit: Noli pro me in posterum orare, vt quæ dãnata sũ, iamq; ad cruciatus & tormenta pergo. Hoc dicto euanuit, sociâ magno in terrore & pauore relictâ.

Hei miseri peccatores & peccatrices, audistisne horrenda res illas

de pœnis Inferni? ſi ſic, quid ampliùs, quæſo, de rebus vſque adeò formidandis dici poteſt? Quid poteſt ampliùs non dicam narrari, ſed excogitari de tam grauibus, tamque atrocibus tormentis?

O humanæ naturæ amentiam! O peccatoris barditatem, qui nunquam hac de re cogitat, ſeque inconſideratè, & quando minimè opinatur eò præcipitat. *Cùm enim dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* 1.Theſ.5.

Væ, væ, væ iterum atque iterum omnibus peccatoribus & peccatricibus in vitijs obfirmatis, *Peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam?* Væ vobis peccatoribus, qui ſine vllo metu, nihil aliudquàm peccare ſtudetis. Væ vobis peccatricibus, quæ in omnibus flagitijs conſopitæ iacetis, nec vnquam de fine veſtro, nunquam de tormentis & cruciatibus, qui vobis in Inferno comparati ſunt cogitatis. Eccl.10.

Surge, ſurge, qui dormis, & exurge à mor- Eph.5.

mortuis, & illuminabit te Christus, clamat Apostolus. *Surge inuocare Deum tuum.* dicebant nautæ somniculoso Ionæ.

Hei peccatores, expergiscimini, mors impendet, vosque ita consopiti in Inferni igne quamprimùm eritis. Hei peccatrices, surgite, atque è vitiorum somno expergiscimini: mors enim præstò est assiduè vobisque comminatur. Surgite, miseri, Infernus vos expectat. Consulite rebus vestris, peccatores & peccatrices, iam iam enim vestræ delitiæ finem accipient: iam iam oblectamenta vestra auolabunt, iam iam denique instar fumi ac nebulæ voluptates vestræ euanescent. Faxit DEVS, vt resipiscatis.





SEPTIMA TVBA.

DE SOCIETATE, quam peccator secum trahit in vita, in morte, & post mortem. Beati ij, qui ad hoc cogitationem suam referent, certus enim fermè sum eos diuino auxilio sese emendaturos.

CAPVT XXXV.

Apoc. 8. *Et Septimus Angelus tubâ cecinit.* Audite nunc ad extremũ, vltimam hanc tubam sonantem, quæ si nihil vos mouerit, exiguã mihi de vestra salute (mihi credite(spẽ ostenditis.

Considera paulisper, peccator, quæ sit tua, quoad viuis societas, posteriùs de societate in morte, & post mortem edifferemus.

1. Ioan. 1. *Et societas nostra sit cum Patre, & Filio eius Iesu Christo.* inquit S. Ioannes, de hominibus probis loquens.

O foe-

O fœlices & fortunatos bonos, qui vbicunque sint, quocunque vadant, sẽper in Angelorum, ipsiusque Dei societate versantur. *Vbi enim duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, inquit Dominus. Matt. 18. *Cum ipso sum in tribulatione*, inquit Deus in Psalmo. Psal. 10. *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde*, inquit Propheta. Psal. 33.

Tua verò, peccator & peccatrix, quæ tandem societas est? Heu miseri! Diabolus assiduus tuus est socius & comes. Quàm verò ob causam? vt te præcipitet, te prosternat, te occidat atque interficiat, te in omnia vitiorum ac scelerum genera propellat, & tandem te in Infernum asportet.

Afferunt Doctores vnicuique homini certum quendam esse Diabolum, qui eum assiduè comitetur atque affectetur, nec vnquam ad mortem vsque relinquat, vt anima eius potiatur. Quid vos igitur peccatores, nihilominus dormitis ac stertitis? Diabolus tantâ vigilantiâ in vestrum exitium assiduè incumbit. Vos salutem vestram

tam somnolentè negligitis? Diabolus nunquam non id agit & molitur, vt vos condemnemini: vos vt salui fiatis, nullam cogitationem suscipitis? Diabolus vos in omni via vestra affectatur, vt vestram damnationem procuret: vos comiti tàm exitioso delectamini? O insani, inque vestras ipsorum miseras animas crudeles? O in vosmetipsos immanes & impios! ecquid agitis? Cũ in vos ipsos iam inhumani sitis, in alios quales eritis?

Considera, peccator, te quandocunque ambulas, assiduum habere Diabolum asseclam. Perpende eundem nunc anteire, nunc subsequi, nunc dextrum, nunc sinistrum latus tuum claudere. Cogita, miser, nunc illum antecedere, vt te prosternat: nunc te consequi, vt insidietur. Nunc sinistræ calamitatum adstare, vt te in desperationem inducat: nunc dextræ honorum ac dignitatum assistere, vt in arrogantiam, animique elationem traducat, quò deinde maiore impetu ruas.

Cogita illum, cùm comedis, circumstare, vt gulæ peccatum admittas: cùm

ſcribis, vt hallucinêre: cùm loqueris, vt titubes, & in ſermone labaris. Perpendete, vbi vigilas ſomno ab illo opprimi: vbi dormis varijs viſis & inſomnijs illudi & conturbari: Vbi euigilas terrorem inferri. Heu quod quantæque ſunt artes, inſidiæ, & præſtigiæ execrabilis Cacodæmonis? Quot retia, quot plagas Tyrannus ille miſeris infœlicium hominum animabus, tendit? Quot viæ ſunt, quas fraudulentus ille inſidet, vt vincat, decipiat, occidat, interficiat miſeros, incautos, atque peccantes homines?

Fratres, ſobrij eſtote & vigilate: quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem deuoret, inquit S. Apoſtolus Petrus. 1. Pet. 5. Quod ipſum quoque S. Eccleſia inſtituit, vt quotidie ſub veſperam in omnibus templis, vbi diuina dicuntur officia, cantetur.

Circuiui terram, & perambulaui eam. Iob. 2. inquit Diabolus Deo, qui ipsũ, vnde veniret, interrogabat. Quid verò, peccator & peccatrix arbitramini cur

Diabolus mundum ita obeat & perlustret? cur terram circumeat & perambulet? propter animam, propter animam, inquam, vestram. DEVS eiusque Angeli nihil aliud quàm animas quærunt: Diaboli nihil aliud quàm animas indagant & venantur. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, inquit Abraham. Idem Diabolus homini dicit.

Gen. 14.

Veri Dei cultores & ministri desiderio acquirendarum Deoq; suo lucrifaciendarum animarum ardent. Diaboli quoque omnes summo odio atque indignatione aduersus animas inflammantur, nec vnquam illas in Infernum propellere desistunt. Angeli hominesque boni, veluti & Diaboli animarum sunt mercatores: illi vt eas in Cœlum, hi vt in Infernum conducant.

Pessimum & infaustum iter facit anima, quæ se comitẽ Diabolo adiungit, eique continuè seruit peccans, & DEVM suum, sanctamque eius legem contemnens atque abijciens. Bonum faustumque iter facit anima, quæ Angelos

gelos Deique seruos comitatur, qui eam in Paradisum conducent: viam, hoc est, veram diuorum præceptorum obseruationem ijs monstrantes. Angelus tuus Custos, peccator, non te deserit, nec vnquam deserturus est, quoad anima tua cum corpore tuo coniuncta fuerit, incitans te, vt mala fugias, bona verò sequaris. Diabolus quoque ex altera parte, crudelissimus Tyrannus, comes tuus, nunquam abs te discessurus est, vt te instiget, teque in omnia scelerum ac flagitiorum genera protrudat. Tu verò, peccator & peccatrix, vt te erga Angelum tuum geris? vt fidelissimum Custodem tuum tractas? Heu improbi & scelerati homines: vt qui Angelo Deoq; vestro relicto, adiungitis vos Diabolo, eique omni studio, operâ, industriâ inseruitis.

Considera, infoelix peccator, quantâ obligatione Deo atque Angelo tuo deuinctus sis, qui te perpetuò tuetur, atque obseruat, te affectatur, semperq; ab omnibus insidijs, fraudibus, omniq; impetu & assultu innumerabilium

Diabolorum defendit. Cogita, peccatrix, quot anni ſint, cùm in arctiſſima ſexcentorum Dæmonum ſocietate vixiſti, Deum tuum offendens, dehonorans, & deſpiciens. Ex contraria quoque parte eius benignitatem, miſericordiam, ſummum amorem & charitatem, qua te complectitur conſidera.

Quot anni ſunt, peccator & peccatrix, cùm vos execrabilis Diabolus peremiſſet, atque hinc aſportaſſet, niſi dulciſſimi Dei veſtri bonitas ac clementia obſtitiſſet? qui te benigniſſimè tulit, tuamque reſipiſcentiam expectauit, teque tam interioribus motibus & inſtinctibus quàm vocibus exterioribus Cõcionatorum, librorum, exhortationum & monitorum vocauit.

Conſidera nunc, improbe & ſceleroſe peccator, quanta tua ſit aduerſus Deum tuum ingratitudo, qui tibi tantoperè cupit, teque viſque adeò amat: qui te continuè his verbis vocat: *Cõuertimini ad me in toto corde veſtro.* (Ioel. 2.) *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* (Zach. 1.) Veni dum, redi, quemadmodum

dum Deus tuus pro paterna sua pietate iubet. Hunc tu propter Diabolum relinques? vide quid agas. *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit te & creauit te? Gens absque consilio est, & sine prudentia. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* inquit S. Scriptura. Deut. 32.

O cæcitatem hominis! ô amentiam peccatoris! qui Deum suum deserit, vt diabolum hostem immanissimum sequatur. Recordare peccator, Deum tuum esse eum, qui te creauerit, qui te solus suo ipsius sanguine redemerit. Dic, quæso peccator, cuius isthic aer est, quem ducimus atque attrahimus? cuius terra est, quæ te sustinet? aqua, qua te abluis? ignis, quo te calfacis? cuius inquam alius hæc omnia sunt, nisi Dei? Quis tibi vestimenta dedit, quibus operiris? vel interulam illam vnde habes? annon à Deo tuo, à tuo IESV? Quis tibi dat panem quo vesceris? aquam quam bibis nisi Deus tuus? Ergóne qui tanta in te beneficia collocat, in eum tam ingratus eris?

 Quis

Quis tibi iniquissime, sanitatem largitur? quis vitam tuam tuetur & conseruat, nonne Deus qui eandem tibi dedit?

Deus mi, Deus mi, Deus benigne, Deus clemens, Deus misericors, Deus
Psal. 72. amoris plene. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam*, inquit S. ille Propheta, qui nouerat quanta in se bona à Deo proficiscerentur. Vos verò improbi peccatores, & peccatrices tantum abest, vt Deum vestrum qui vos puros planè sanctosque efficere potest, accedere cupiatis, etiam vos ipsi Diabolo adiungitis qui vos prorsus diabolicos
D. Ioan. 4. reddit, cùm diuini per amoris ardorē fieri potuissetis. *Deus charitas est &*
Ioan. 14. *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, inquit S. Ioannes. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Delitiæ meæ, esse cum filijs hominum.*

Habes igitur maximam bonorum feli-

fœlicitatem: Habes quoque ex altera parte inenarrabilem malorum miseriā & calamitatem. Boni siquidem in societate Dei: improbi verò & scelerosi peccatores in contubernio Diabolorum versantur.

Ad extremum pro certo habeto, peccator, te siue bibas, siue comedas, siue sedeas, siue ambules, siue dormias, siue vigiles, seu quamcunque rem aliā geras, semper in consortio innumerabilium Diabolorum versari, qui assiduè astant, te in Infernum asportare parati. Ac nisi Angelorum custodia, & Dei clementia adesset, persuasissimum habeto pauculos te annos cum tanta offensione & contemptu Dei vixisse.

Dominus per merita S. Mariæ Magdalenæ, (cuius conuersæ memoria hodie in Ecclesia renouatur) omnium peccatorum, præcipuè verò eorum, qui isthoc opusculum sunt lecturi, animos afficiat, vt execrandi Diaboli consortio relicto, societatem cum IESV Christo Deo, Patre, & Creatore ipsorum coeant, Amen.

Qui-

Quicunque verò opuſculum legerit, per mutuam omnium hominum charitatem ne grauetur pro me omnium peccatorum qui ſunt, fuerunt, erunt, longè miſerrimo, ſeu vixero, ſeu mortuus fuero, deprecari. IESVS nos omnes benedicat, Amen.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.



DE SOCIETATE, quam peccatores in morte ſua habent: Et quàm periculoſa ſit ipſorum ſalus ſub vitæ finem.

CAPVT XXXVI.

QVi malè viuit, malè moritur, habet non ignotum tibi, peccator, commune prouerbium. Quid verò? qui tot annos flagitioſam vitam traduxiſti, tene benè moriturum arbitraris? Fieri
Eph. 2. poſſet, vt Deus, *Qui*, vt eſt apud Sanctum Paulum, *diues eſt in miſe-*

ricordia,

ricordia, singulari quadam miseri-cordia & clementia in te vteretur: Sed paucis hoc contingit. Quanquam enim nonnulli peccatores ad extremum seruati fuisse leguntur, quemadmodum bono latroni vsu venit: tamen væ ijs qui hac fiduciâ peccant. *Pœnitentiam in extremis nec damnamus, nec approbamus*, inquit S. Augustinus, Deo tantùm notam est quid tùm futurum sit. *S. Aug.*

Illud quidem certum est, omnes peccatores, qui saluantur, omnium iniuriarum, quibus Deum affecerunt, magno cum dolore pœnitere. Quis est autem, cui exploratum sit, hunc se dolorem & pœnitudinem in morte sufficientem habiturum, maximè verò qui in sceleribus semper vixerit? *Nemo vos seducat inanibus verbis*, inquit S. Paulus. Quid verò, peccator? putasne Diabolum illum, qui te toto vitæ cursu comitatus est atque affectatus, in morte abs te abscessurum? Noli hoc arbitrari, fallêris alioqui. Quin potiùs tum Diabolus omnem suam in- *Eph. 5.*

duſtriam expromet : tum ſtudium & diligentiam adhibebit, vt tantoperè ſibi deſideratâ victoriâ potiatur. Tum infernalis tui comitis Diaboli fœditatem aſpicies: tum videbis, quàm horribilis ſit vultus eius & aſpectus : Siquidem Deus tum permiſſurus eſt, vt cui tam cupidè ac ſtudiosè tot annos inſeruijſti, aſpicias.

Heu miſer, peccator, quid tum dicturus es, cùm Diabolus vultum ſuum truculentiſſimum tibi oſtentabit inſultans & comminans, ſi te fortè ab illo ſeiungere & ad Chriſtum antè actæ vitæ tuæ pœnitens conuertere & recipere cogitaueris? Tum tibi aperiet & demonſtrabit id, quod tanto dolo atque aſtutiâ ſemper te celauit, & fallacis ſpeciei operculo obtexit. Heu miſer, quot difficultatibus tùm circumueneris? eoque magis, quòd neque quid dicturus ſis ſcies. Vndique teneberis, & tantùm non neceſſe erit te in Infernum præcipitem deturbes, in conſortium Diabolorum. quibus toto vitæ tuæ curſu inſeruijſti. Heu terque quaterque infœlices peccatores, nullũ

tum

tum tempus habebitis, quo ob tot tamque fœda & enormia flagitia pœnitentiam agere possitis. Diabolus coram te astabit turpissima tua scelera recitans cum amplificatione, ad quæ neque quid responsurus, nec quid in excusationem allaturus sis, habebis.

Accipite, peccatores, exemplum terribile quidem illud, sed ad rem institutam de morte appositum, quod à Ioanne Climaco octauo sermone libri sermonum narratur. Audite historiam tristem & miserabilem.

Monachus quidam Stephanus nomine in monte Sinai habitabat, qui vitæ solitariæ tranquillitatē vehementer adamauerat, & complures annos vitæ monasticæ militiam omnibus virtutibus ornatus, quemadmodum describit Climacus, exercuerat. Hic pridie quàm morie batur, mente ac spiritu abreptus apertis oculis nunc in dextram, nunc in sinistrā partem lecti respectabat, non aliter atq; si aliquot rerū ab ipso gestarū rationē seuerè exegissent. Quod nos oēs qui eramus præsentes audiebamus quidē, sed neminē quicum ille loqueretur,

retur, videbamus. Nunc respondebat: Equidem sic res habet. Nunc dicebat: Fateor quidem illud, sed confessus sum, & ob illud delictum tanto tempore ieiunaui atque luxi. Subinde dicebat. Verum non est: mentimini, nunquam eiusmodi rem designaui. Subinde respondebat. Verum istud, sed tanto tempore luxi, & pœnam de meipso sumpsi. Subinde. Næ vos iniustè mihi crimen & infamiam intenditis, dicebat. Verùm illud stuporē afferebat, cùm subinde dicebat. Verū est, fateor, nec quid dicam aut respondeā scio: in Deo tamē qui misericors est, spem colloco. Adeò vt terribile & horrendum spectaculum obscurum isthuc & quod à nemine videbatur Iudicium fuerit. Illud verò maximè erat horrendum quod de criminibus eum accusarent & arguerent, quæ nunquam admiserat. Heu me miserum! Quò loci adductus est sanctus ille Anachoreta, quietæ ac tranquillæ solitudinis imitator, qui cùm ad quadraginta annos fuerit Monachus, gratiamque fructuosarum lachrymarum obtinuerit: subinde tamen se quicquam

habe-

habere negauit, quod ad excusandas suas noxas posset respondere. Væ væ inquam nobis.

Vbi tum erat splendidum illud promissum quod Deus per os S. Prophetæ Ezechielis, fecerat, quo potuisset illud seueris & immanibus exactoribus opponere: *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, omnium iniquitatum, quas operatus est, non recordabor?* Ezech. 18. Nihil horum respondere, nec in suam excusationem afferre potuit. Quam ob causam laudetur & prædicetur Deus, qui omnium rerum causam & rationem nouit. Idque eò magis, quòd quidam Monachi mihi verè confirmarunt, ab hoc Stephano, quandiu in deserto degisset, suis ipsius manibus Leopardum fuisse alitum & enutritum. Hic tamen talis tantique nominis Eremita, cùm tam asperè ad reddendam de se ipso rationem fuerit compulsus, è præsenti vita decessit, nihil certi relicto, quale de se Iudicium habitum fuerit, aut quem exitum postulata ab ipso ratio fuerit sortita. Hanc historiam narrat Climacus. Audi-

Audiſtiſne, peccatores & peccatrices? quo pacto igitur tam ſecuri viuitis, omnibus ſceleribus & vitijs contaminati, arbitrantes vos benè morituros, cùm tantus Eremita, tantâque vitæ ſanctitate vir, qui quadraginta annos tam aſperam pœnitentiam egerat, iam moriens nihil quod reſpondiſſet habuerit? Heu quàm ſeriò quamque ſeuerò nobiſcum tum agetur!

In Chronicis noſtræ Religionis legitur, quòd cùm Frater quidam qui piè ſancteque vixerat, obijſſet, Theologus quidam S. Theologiæ Doctor ſacra pro defuncto, quemadmodum obligatus erat, facere intermiſerit, ratus cùm alter probè vixiſſet, nihil opus eſſe. Quodam igitur die manè defunctus illi apparuit, atque ſalue, inquit, Magiſter, Vbi eſt illa charitas, qua te ſacrificia pro me facturum promiſeras? Arbitratus ſum, inquit Theologus tibi nihil opus fore. Cui mortuus: Nihil verò mihi opus fore? Vtinam, inquit, ſcires, quàm ſeuerè negotium in morte tranſigatur. Scito me in Purgatorio grauiſſimis cruciatibus & tormentis affici; vnde

vnde si Sacra illa pro me feceris continuò liberabor. Quò dicto disparuit: Magister autem promisso satisfecit. Heu igitur fratres peccatores & sorores pec atrices attendite quid agatis: à maleficijs abstinete: præteritarum noxarum pœnitentiam agite Iniuriarum, quas Deo infertis, finem facite, neu cunctamini diligenter & in ipso (quod dici solet) puluino vobiscum rationem inire: alioquin certò fallemini.

Tu Domine iam nunc corda errantium hominum diffinde, vt & tu colaris, & animæ tuo sanguine redemptæ seruentur. Tolle Domine IESV potestatem Diaboli, quam tot iam annos in miseras mortalium animas habet, vt & Cacodæmon erubescat, & tu lauderis atque benedicaris, & animæ tuæ à diabolica tyrannide liberentur, Amen.

DE



DE SOCIETATE peccatoris animæ post mortem. Beati illi qui de hoc diligenter cogitabunt, Nam cruciatus, quibus Diaboli animas afficiunt, effugient.

CAPVT XXXVII.

ITe maledicti in ignem æternum qui paratus est Diaboli, *& Angelis eius.* Annon peccatores hæc sententia est, quam IESVS Iudex in postremo Iudicio contra omnes reprobos, qui lethali crimini obnoxij decesserunt prolaturus est? Ite maledicti in ignem æternum in consortium omnium Diabolorum.

Considerate igitur, quæ vestra post mortem futura sit societas, perpendite vos fore in cœtu & contubernio Diabolorum, hostium animarum vestrarum crudelissimorum atque immanissimorum.

ſimorum. Quam diu autem in tam horrenda ſocietate verſabimini? num vno, decem, centum, mille annis? in ſempiternum, miſeri, inque omnem æternitatem. Heu miſeriam, heu cruciatum & pœnam, in ſocietate tam crudelium Diabolorum, hoſtium veſtrorum verſari! Cogitate poſt mortem corpore pariter atque animo poteſtati Diabolorum traditum iri: vbi quam crudelitatem execrandi illi ſpiritus, inimici Dei, hoſtes generis humani maximè capitales in te non exercebunt? Quando autem totus Diaboli eſſe incipies, quod ad animam duntaxat attinet? ipſo die tui obitus. Nam ſimul primùm execrabilis iſthæc anima è fœtido corpore exiuerit, extemplò in manus horrẽdorum & teterrimorum Cacodæmonum, qui eam pro ſua libidine tractabunt, tradetur. Conſiderate peccator & peccatrix, quo furore, qua rabie animam tuam corrupturi ſint. Perpende quot cruciatuum & dilacerationum genera ſint reperturi, vt eam excarnificent. O rem, qua nihil non dicam narrari ſed cogitari poſſit magis horrendum!

rendum! Confidera verò te poſt Iudicium quà corpore, quà animâ Diabolorum libidini debitum iri. Heu obfirmate peccator, quid? tun' arbitraris corpori iſti tuo nihil opus eſſe agere pœnitentiam, cui nulla non oblectamentorum & voluptatum genera concedere iam libet?

Falleris, miſer. Tu verò peccatrix, quid? putaſne corpus iſtud tuum, quod tot annis omnibus turpiſſimis flagitijs expoſuiſti, à Diabolis ſeueriſſimè caſtigandum? Heu quantoperè fallimini! quantò in errore verſamini! quàm ſtulti eſtis, quod contrarium non expendatis! Heu guloſe, tuque qui ventrem tuum Deum aliquem conſtituiſti putaſne te à Deo, quod commeruiſti, accepturum? nihil certius. Tu verò homicida qui hoſtes tuos vltus es corporibus eorum in fruſta conciſis, & crudeliſſimâ de ipſis ſumpta vindicta, arbitrariſne tuum quoque corpus ab inimicis tuis crudeliſſimis Inferni Diabolis concidendum, dilacerandum & concerpendum?

Considerate tandem vltores, vos ab hostibus vestris mutuo laniatu in Inferno furiosa crudelitate discerpendos & ab inimicis Diabolis in mille frusta dilacerandos.

Heu cæcitatem atque amentiam humanæ naturæ, quæ te in Infernum nec opinantem agis præcipitem! Quid miser, peccator ages, cùm ex vna Diabolorum societate in aliam immaniorum & tetriorum adducêre? Quid tu peccatrix dices cùm in vna Inferni parte excruciata, in alteram infinitis partibus crudeliorum Diabolorum detrudêris? Quid scelerati viri & fœminæ dicetis, cùm alijs atque alijs atrocioribus tormentis vos videbitis assiduè excruciari?

Considera tandem, peccator, oblectationes tuas & voluptates intermorituras, Cogita tandem vana mulier fore, vt forma tua marcescat, vanitas euanescat, corpus tuum Diabolis tenebrosi Inferni præda fiat, qui te sine intermissione innumerabili tormentorum varietate in sempiternum excruciabunt.

Dic, quæso, peccatrix, nunquamne mulierem aliquam Diabolis obsessam atque agitatem in vita tua vidisti? non vidisti, vt miseras illas creaturas concerpant, dilacerent, fatigent? vt corpora miserabilem in modum tractent atque exagitent? Age nunc considera quid de te facturi sint, cùm te in sua potestate habebunt? cum in manus ipsorum per diuinæ iustitiæ seueritatem traditus eris, quâ corpore, quâ animo? Perpende peccator & peccatrix, si ij quos Cacodæmones inuaserunt in hunc modum ab ijs accipiuntur, in quos nondum omnem potestatem obtinent, sed tantam solùm, quantam Deus concedit, (nam in corpus duntaxat aliquid, nihil in animam iuris habent) quid te fiet, cum corpore pariter atque animo omnium Diabolorum potestati totus tradêris? quod non similiter accidit ijs, quos Dæmon inuasit, qui rarò à pluribus quam ab vno Diabolo diuexantur. Ac tamen à non vidistis, vt eos iactent, prosternant, lacerent? vt eos vlulare, dentibus infrendere, os oculosque distorquere cogant? vt

vt se ipsi mille modis concutiant, torqueant, affligant! Væ vobis peccatores & peccatrices qui his de rebus nihil nunc cogitatis, quosque posteà sine remedio vllo tam atrocia tormenta certissimè manent? Quid? putasne tibi quicquam profuturum, si querulus dixeris: Eheu dolore me afficitis: desistite, ne me ampliùs excruciare: date mihi aliquod respirandi spatium miseremini mei, & commiseramini meam vicem? nihil certè proderit. Imò quantò magis conquerêris, tantò crudeliùs in te omni tormentorum genere sæuient. Quid ais? dolorem illum & cruciatum nonnihil iri leuatum, cùm cogitabis tempus fore, cùm atrocissimæ pœnæ horrendaque tormenta cessabunt? Eheu miseriam. *Ite in ignem æternum* inquit Christus. Heu vt te anget & cruciabit recordatio verborum Christi, qui te voce terribili desecrauit, & perpetuis flammis caliginosi Inferni adiudicauit! Heu quanto tibi dolori erit, cum iratum & truculentum vultum Christi, quem in iudicio post mortem aspexisti, recorda-

beris! Deus bone! *Nunquid qui cadit*
Iere. 8. *non resurget? & qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo à versus est populus iste auersione contentiosa?* inquit Ieremias Propheta. Humanum est cadere, angelicum emendare, & diabolicum perseuerare, vt est apud Doctorem quendam.

Heu fratres peccatores & peccatrices sorores, nolite in posterum esse tam duri: Reuertimini ad vestrum DEVM: Pœniteat vos scelerum à vobis commissorum, & eorundem veniam à diuina clementia cuius proprium est peccatoribus condonare, efflagitate. *Deus cui proprium est misereri & parcere*, orat sancta Ecclesia, *suscipe deprecationem nostram, vt nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.*

Reuertimini ad vestrum Deum, redite in gratiam cum vestro IESV, peccatores & peccatrices, num forsan metuitis ne vobis non sit condonaturus? cauete isthuc putetis. Nam *Mise-*

Misericordiâ Domini plena est terra. *Psal. 33.*
Et miserationes eius super omnia opera eius, inquit S. Propheta *Fidelis sermo,* *1. Tim. 1.*
inquit S. Paulus, & *omni acceptione dignus, quod Christus IESVS venit in hunc mundum, peccatores saluos facere quorum primus ego sum.*

Referte animum peccator & peccatrix, ad summum illum amorem, quo Deus tuus ductus in terram venit, Pro te factus est homo: pro te mortem oppetijt: pro te tam atrox, supplicium in sancto ligno crucis pertulit.

Heu me, solum hoc satis esse debebat, vt vestrorum animorum duritiem confringere t, vos in veram semitam reduceret. relicto Diabolo ad Deum vestrum reuocaret, qui vos tantoperè amat, atque amauit, qui tanta pro vobis tulit fecitque, atque etiamnum faceret, si opus foret.

O amor IESV mi, per tui sacri nominis virtutem conuerte miseros atque errantes homines; vicem eorum commiserare: condona ijs, & redi cum ijs in gratiam, vt Diaboli ty-

rannidem fugiant ac relinquant. Isthuc fac, oro IESV mi, per tuæ dulcissimæ Passionis merita, fac per pretiosissimum tuum Sanguinem, quem pro me, omnibusque peccatoribus in sanctæ crucis ligno, die qui Veneris vocatur qualis hodiernus quoque est, perfudisti. Fac benedicte IESV per amorem tuæ sanctissimæ Passionis, Fac per sanctam crucem, in qua pro peccatore mortem voluisti oppetere. Fac oro per charitatem charissimæ tuæ & purissimæ Matris, quæ quemadmodum citra originale peccatum concepta fuit: sic vitam quoque omnis criminis tam venialis, quàm mortalis expertem traduxit. Tribue, IESV mi, pro ingenti tua clementia peccatoribus misericordiam: tribue ijs misericordiam propter omnes Angelos, Sanctos & Sanctas tuas, Amen.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.



SEQVVNTVR

PVLCHERRIMAE aliquot Recordationes seu monita omnibus peccatoribus perutilia,

VT PECCATA FVGIant, ad Deum se conuertant & animas suas saluent.

I. DIligenter caueat peccator, ne omnia quæ potest maleficia committat. Sæpe enim fit, vt maximè capitalia scelera suscipiantur citra vllam voluptatem, & vtilitatem.

2. Quàm potest frequentissimè ad audiendum Dei verbum vadat. Nam. *Viuus est sermo Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Lex Domini immaculata, conuertens animas.* *Heb. 4.* *Psal. 18.*

3 Legat ſubinde, adeoque quàm poteſt ſæpiſſimè librum aliquem pium & ſpiritualem, maximeque eos qui de morte, Iudicio, Inferorum ſupplicijs, & animarum damnatione tractant. Huiuſmodi enim plurimùm proderunt.

4 Sæpe de morte, Inferno, Iudicio cogitare ſe ipſum aſſuefaciat. Siquidem Sapiens, *Memorare*, inquit, *nouiſſima tua & in æternum non peccabis.* Eccl. 7.

5 Quicquid benè rectè agere poteſt, agat. Nam licet rectè facta in peccato mortali, ad obtinendum Paradiſum nihil valeant, nec æternam vitam mereantur: ſatis tamen magnam vtilitatem habent, quippe quæ ad id conferunt, vt diuina ope adiutus ad relinquenda vitia ſe aptiorem reddat, ſeſeque conuertat: Præterquàm quod ad bona temporalia conſequenda valent. Tam bonus enim Deus eſt, vt ne minimam quidem virtutem irremuneratam ſeu in hac, ſeu in altera vita relinquat.

6 Si per facultates ei licuerit, benè multas Eleemoſynas eroget. Scriptum enim eſt, *Ignem ardentem extinguit* Eccl. 3.

aqua,

aqua, & Eleemosyna resistit peccatis, Atque hinc ingentia quædam signa & miracula multis peccatoribus accidere visa sunt.

7 Peculiari quadam pietate & religione beatissimam Virginem prosequatur. Hæc enim ceu pia mater omnium peccatorum aduocata nunquam ipsum deseret. Et hinc quoque maxima miracula acciderunt.

8 Si literas nouerit, quotidie officium Beatæ MARIAE dicere religiosè constituat. Sin verò literarum fuerit ignarus, non intermittat in eius honorem vel Coronam dicere certus tempus se non perdere, nec labores suos vento commissos.

9 Sæpe nomen IESV & MARIAE inuocet: Hæc enim suauissima nomina sunt & dulcedinis plenissima, quæ nũquam nec pronunciantur, nec cogitantur sine summa vtilitate.

10 Semper secum circumferat rem quampiam sacram: velut orationem aliquam, aut In principio S. Ioannis,

aut sacram Passionem, aut sacram aliquam imaginem.

11 Sæpe inuocet, seseque commendet Angelo suo custodi. Huius enim custodiæ & tutelæ commissus est, qui etiam auxilio suo eidem non deerit, maximè vbi ab ipsomet sibi commendatum eum viderit.

12 Quotidie, aut diebus ad minimum festis Missam audiat. Hac enim maximæ virtutes continentur: ad extremum verò benedictionem à Sacerdote accipiat, quæ multùm prodest.

13 Templa frequentet. Nam licet indignus sit, qui illuc ingrediatur (ac proinde summo timore ipsum oportet ingredi) tamen cùm is proprius locus in terra sit, vbi Deus sua beneficia & munera confert, & vbi vult adorari, maximum fructum capiet, quisquis illuc intrabit.

14 In templo summo cum timore & reuerentia sit, caueatque ne peccatum ibidem committat. Nullum enim dubium, quin scelera in sacris locis commissa longè sint grauiora.

15. In

15. In eam ſe conſuetudinem inducat, vt ſæpe ipſe ſecum loquatur, ſeſeque ſuo nomine appellitet, dicens verbi gratiâ. Heu Franciſce! heu Ioannes! Heu Portia! heu Elizabetha! quid te fiet? quò in morte abibis? Sibi verò ipſe reſpondeat. In Infernum, niſi vitam emendaueris, in Infernum niſi à peccatis abſtinueris. Diaboli te, Petre, illuc aſportabunt, niſi mores tuos correxeris. Diaboli O Agnes, aduenient vt te abripiant, Tu malâ morte obibis, O ſcelerata. Tu damnaberis. Conuerte te, reuertere ad Deum, O impudens. Veniat tibi in mentem Henrice, non hanc eſſe viam quæ in Cœlum ducit. Memento Conſtantia non eſſe hunc tramitem ſalutis, ſed Inferni. Neceſſe eſt, O Ioannes, viuendi rationem commutes, ſi ſeruari cupis. Neceſſe eſt, O Margaretha ad Chriſtum redeas, ſi ſalua eſſe deſideras. Hac ratione ſecum ipſe ratiocinetur: quod accedente diuino auxilio plurimum ad peccatoris & peccatricis conuerſionem conducet.

16 Funeribus efferendis frequens in-

cerſit, præſenſque dum humantur aſter ſepulchro, mortuorum oſſa contempletur, & fœtorem, quem emittunt, olfaciat. Nam ſi crebrò hoc fecerit mirum ſanè erit, ni vitam ſuam mutare conſtituerit.

17. Multum quoque proderit ſi ægrotos inuiſerit. Præcipuè verò ſi curauerit, vt coràm adſit dum cum morte luctantur, expirant atque è præſenti vita emigrant. Nam ſi huiuſmodi res viderit, animum ſuum procul dubio ad deliberationem referet. Et ſi perpetuò hoc fecerit, mirum erit, ni vitam emendauerit.

18. Mirificè quoque conducet, ſi (modò Sacerdos non fuerit) nocentes vltimo ſupplicio affici viderit, cùm aut laqueo ſuſpenduntur, aut capite plectuntur, aut in partes diſſecantur, &c. Huiuſmodi enim res terrorem illi incutient, quod ad ſalutem ſuam ſingulare poterit eſſe medicamentum, præcipuè verò ſi ea ſcelera vindicantur, quibus ille quoque contaminatus eſt.

19. Ingentem terrorem incutiet, ſi quos

quos viderit seu mortuos, seu viuos præcipuè ob hæresin, aut propter pecunia & nefanda flagitia exuri. Hoc maximè ad vitæ mutationem instituendam valebit, præsertim si ipse (quod absit) in ijsdem vitijs versabitur.

20. Sæpe cogitet ad singulas se horas exanimem posse concidere, & sine vlla venia condemnari, vt ne dicere quidem possit: Iesus, quod non paucis vsu venit.

21. Multum quoque hoc illi profuturum confirmo, si, cùm aliquem aut subitò obijsse, aut iaculo interfectum audit, ad seipsum retulerit, & in memoriam sæpe reuocauerit.

22. Cùm tonitrua ac fulgetra sentit, semper sibi in animum inducat hæc signa esse & portenta horrendi Iudicij: aut cogitet, iam iam se fulmine tactum & mortuum condemnatum iri.

23. Perpendat se multis assiduè circumuentum esse Diabolis, qui adsunt vt ipsum interficiant, prosternant, suffocent, strangulent, in Infernum asportent.

24. Si-

24. Siue bibit, siue comedit, considerct se velut hostem Dei pane illo atque vino, adeoque aqua, quâ manus lauat indignum esse.

25. Si erit in ædibus, semper metuat, ne domus super se corruat, aut pauimentum rumpatur, eò quòd ipsum velut inimicum Dei diutius sustinere non possit.

26. Frequenter de summa iniuria, qua Deum afficit cogitet, Nam cùm ab ipso creatus sit & pretioso eius sanguine redẽptus, ille nihil aliud quàm offendit eum & contemnit.

27. Semper extimescat, ne iustissimæ iræ diuinæ gladius in se propter ingentia sua scelera decidat.

28. Consideret se ob peccata sua omnibus animantibus & abiectissimis terræ bestijs longè esse viliorem.

29. Perpendat se instar cadaueris, & canis mortui fœtere, & fœtorem suũ ad Cœlum vsque emittere, & vniuersum orbem inficere.

30. Secum reputet, se summum DEI hostem esse & rebellem, ideoque cùm Deum omnipotentem aduersarium ha-

habeat, *Cuius ira nemo resistere potest*, non mediocriter esse extimescendum.

31. Consideret, se ceu mancipium quodpiam à Diabolis vinculis constrictum teneri, qui ipsum diligenter obseruent, ne è manibus aufugiat.

32. Perpendat omnes res creatas sibi obiratas: Cœlum, vt aduersus se fulgura & tempestates emittat: Terram, vt discedat ipsumque absorbeat: Aquam, vt in ea submergatur. Aerem vt ipsum suffocet: Ignem vt ipsum exurat: Omnia denique animalia vt ipsum interficiant, discerpant, & deuorent.

33. Consideret ipsum panem quo vescitur, paratum vt sese cum cultro quo dissecatur inuertat, quò ipsum velut hostem & rebellem Dei & Creatoris sui occidat & interficiat.

34. Consideret talem finem suum fore, qualis est vita. Nam iuxta prouerbium. Qui malè viuit, malè moritur.

35. Perpendat, quo si ita vixerit, & mortuus fuerit, certum ipsum esse de sua condemnatione, Infernumque illi esse apparatum.

36. Co-

36. Cogitet quam ſtultus ſit atque a-mens, eò quòd pro nihilo Paradiſum amittat, & Dei qui ipſum creauit ia-cturam faciat.

37. Conſideret ſe omnium rerum eſ-ſe abiectiſſimum: quippe cùm res om-nes etiam inanimæ ad eum finem, quē à Deo ſibi habent propoſitum veloci-ter redeant: Velut lapides citò ad cen-trum ſuum labuntur; Ignis ſurſum fer-tur; eodemque modo reliqua: Ille ſo-lus contrà quam reliquæ res omnes fa-cit. Nam cùm Deus ipſum creauerit, vt ſalutem conſequatur, ille ſeipſum cō-demnat.

38. Sæpe ſcelerum ſuorum veniam à Deo, & gratiam vt ſe conuertat, efflā-gitet, etiamſi nullum in ſe dolorem aut cogitationem ſeriò iſthuc faciendi ſentiat. Poſſet enim Deus qui mera bo-nitas & clementia eſt, vel eodem mo-mento eius miſereri, verumque dolo-rem ac pœnitudinem peccatorum & ſerium emendandandi propoſitum tri-buere.

39. In eam ſe conſuetudinem indu-cat, vt, cùm à nemine videtur, ſeu do-

mi,

mi, ſeu foris ſubmiſſo genu Precationem dominicam, & Salutationem Angelicam pronunciet, aut pſalmum: Miſerere mei Deus: aut De profundis &c. ſi literas nouerit: aut ſaltem ſubinde repetat. Condona mihi Domine, fer opem Domina, aut alia huiuſmodi &c.

40. Simul primùm peccatum admiſit, licet nullum dolorem aut pœnitudinem veram, nec animum ſui emendandi ſentiat, pectus ſuum percutiens dicat: Domine remitte mihi & miſerere mei. Poſſet enim Deus ei miſericordiã tribuere, atq; animũ immutare.

41. Oret, & vt precationes fiant curet, maximè verò, modò potuerit, curet Miſſam aliquã pro animabus quæ sũt in Purgatorio, quarum nulla extat recordatio, celebrandam. Poſſet enim fieri vt Deus eius meminiſſet, cùm videat ipſum eius recordari, qui in Purgatorij cruciatibus ardet, & cuius memoria apud viuos eſt deleta.

42. Si quod bonum opus facturus eſt, ſemper mentem ad DEVM referat ſcelerum ſuorum veniam efflagitans, atque enitatur, vt quàm fieri poteſt

ma-

maximo ob illa dolore afficiatur, vt Eleemosyna quam erogat, aut rectè factum Deo sit quàm gratissimum.

43. Caueat, ne alios ad peccandum inuitet, nec ijs malè faciendo occasionem præbeat, ne tanto cùm suæ atque alienarum animarum dispendio scelera committat.

44. Assiduè det operam vt Dei iuxtà atque Ecclesiæ præcepta obseruet, & si deliquerit, aut præceptum aliquod transgressus fuerit, enitatur, vt reliqua pro viribus obseruet, ne peccata accumulentur. Nam vt condemnetur, leuiores tamen in Inferno pœnas sustinebit.

45 Sæpe Sacerdotem confessurus cõueniat; quantumuis debitum dolorem ac pœnitudinem quæ postulatur scelerum non sentiat. Is enim qui abiturus eam nondum habuit, inter abeundum potest accipere, idque faciliùs, si qua sacerdotis accesserit exhortatio, eiusdemque benedictio.

46. Det operam, vt improbos fugiat, ne cum ijs peior euadat, vtque faciliùs è vitijs possit emergere, nec noua scelera

lera in societate aliorum committat, quæ si solus esset, non committeret.

47. Cum hominibus probitate ac virtute præstantibus quam maximè conuerserur. Nam horum sanctа consuetudine, sanctis consilijs, monitis atque exhortationibus animus eius poterit mutari: Scriptum enim est. *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris*: tametsi ad aliud propositum isthuc dictum sit. Et moratissimus Cato, *cum bonis*, inquit, *ambula*.

48. Maximè ex probis vitis Religiosis peccator insignem potest animæ suæ fructum capere. Nam scriptum est *Lingua eucharis in bono homine abundat*. Cùm ea sit bonorum consue- *Eccl. 6.* tudo, vt de virtute semper loquantur, & ad honestatem cohortentur, faciliùs peccator sese conuertet, vitæ probi Religiosi præclaro exemplo potiùs quàm eiusdem verbis commotus.

49. Cùm rem quampiam fœdam, fœtidam & maleolentem videbit, cōside-

ſideret peccator, animam ſuam propter maxima quorum plena eſt ſcelera longè grauiùs fœtere, magiſque nauſeam commouere.

50. Cùm verò rem aliquam pulchrã & iucundam videbit, perpendat animam ſuam per ſe naturaque ſuâ longe eſſe formoſiorem Nam, *Anima*, vt inquit Philoſophus, *eſt pretioſior omni corpore*: veruntamen ille eandem ſuis vitijs deformauit & contaminauit.

51. Crebrò alienis ſe deprecationibus commendet, curetque vt preces fiant (præcipuè à probo DEI cultore ſeu cultrice) pro ſua conuerſione.

52. Ne intermittat quoque ſæpe ſe diuinæ miſericordię commendare, neu ſuam ipſius ſalutem neglectui habeat.

53. Meminerit ſe filium eſſe DEI, ab ipſo creatum & proprio eius ſanguine redemptum.

54. Conſideret ſe à DEO ideò creatum eſſe, vt ſaluetur non vt damnetur: eamque ob cauſam quanto maximo poteſt ſtudio elaboret, vt ne damnetur aut pereat.

55. Cogitet complures esse damnatos eò quod scelerosam sicuti ille, vitã dixerint, idem quoque sibi posse cõtingere: adeoque certissimè continget, nisi sese emendauerit.

56. Secum reputet multos Diabolos animam suam aucupari, qui nec comedunt, nec bibunt, nec dormiunt, sed nocte ac die alias atque alias insidias & fallacias tendunt ac parant.

57. Consideret vnâ se tantùm præditum esse animâ, quam negligentiâ suâ perdere summæ dementiæ est.

58. Perpendat quantâ diligentiâ res temporales spectet atque amet, & quãtâ curâ ac sollicitudine corpori de cultu, victu, quiete & voluptatibus prouideat: contrà vero videat quàm amẽs sit, cum miseram suam animam tàm parui æstimat.

59. Cogitet animam suam immortalem, corpus verò mortale esse, ac deinde videat quam vecors sit, qui tãti corpus faciat, animam verò per tantam incuriam negligat.

60. Perpendat se ob vnumquodlibet pec-

peccatum facere oportere pœnitentiam, seu in hoc, seu in altero mundo, ob eaque seuerissimè à DEO puniendum.

61. Consideret exiguam hanc temporis vsuram à Deo sibi ideò datã fuisse atque concessam, vt saluti suæ inseruiat. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*, inquit S. Petrus. E contrario verò cogitet, quemadmodum malefactis suis eam amittat.

62. Cogitet se nolente volente voluptates defecturas atque intermorituras, satiusq; esse si ipse peccata, quàm, si peccata ipsum deserunt.

63. Perpendat omnes suas voluptates cum minima pœna non posse comparari, quæ si se emendauerit aut in in Purgatorio, aut in hoc mundo sin minus, in Inferno sibi erit perferenda

64. Consideret omnes voluptates suas fuisse semperque fore breuissimas & momentaneas, è contrario acerbitates suas aut in Purgatorio, aut in hoc mun-

mundo, si resipuerit, fore maximè diuturnas: sin se minus emendauerit, sempiternas.

65. Consideret se in vitia ex se posse prolabi, non autem inde suis viribus sine ope diuina posse surgere. Eaque de causa opus esse diligenti cautione, ne prolabatur, ab Asino alijsque animantibus edoctus: quæ sicubi in cœnum semel ceciderunt, dum eò redeunt, nolunt illâc rursum transire, & si transeunt, coacta illud faciunt, & solicitè vbi pedes ponant, obseruant.

66. Secum reputet, quanta sit peccati turpitudo: vtpote quod ipsum ab amicitia DEI diuellat, & summè capitalem hostem ac rebellem efficiat.

67. In maleficijs ne hæreat obfirmatus, sed prolapsus sese erigat. Scriptum est enim: Humanum est peccare: Angelicum emendare, diabolicum perseuerare. Neu dicat: hoc anno me emendabo: nescit enim quando mors quæ ipsum ad sepulchrum vocabit, ventura sit.

68. Perpendat quantò in vitijs diu-

tiùs vixerit , tantò quoque difficiliorem fore emendationem. Nam. *Qui non est hodie, cras minus aptus erit*: tametsi quis scit an ad crastinum sit victurus?

69. Ne dicat: intra hunc annum viuendi rationem emendabo: ignorat enim quando mors ventura sit, ipsumq; ad sepulchrum vocatura.

70. Consideret multos fuisse deceptos, qui dixerunt, tandem aliquando benè faciemus: & complures esse in inferno, qui eodem quo ille modo fecerunt & loquuti sunt.

71. Cogitet hanc conuersionis morã & tarditatem magis magisque Deum, qui nunquam ipsum reuocare desistit, ad indignationem concitare: ideoque caueat, ne monita eius despiciẽs omnino deseratur.

72. Perpendat vel hoc die Deum illi fortassis auxilium laturum, cras minimè: Proinde ne diuinis vocibus resistat.

73. Ne amittat occasionem benè recteque faciendi, mali verò relinquendi. Nam cum horum alterutrum volet habere non poterit. 74. Con-

74. Consideret diuinam iustitiam esse maximè formidabilem. Quod S. Paulus considerans, *Horrendum est*, inquit, *in manus Dei viuentis*. Et Prophe. *Domine*, inquit, *ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me*. Et Iob, *Quis* inquit, *mihi tribuat, vt in Inferno abscondas me donec pertranseat furor tuus?* Heb. 10. Psal. 6. Iob. 14.

75. Perpendat omnia sua peccata Deo esse manifesta, eaque committere inspectāte Deo. Nam *In omni loco oculi Domini cōtēplantur bonos & malos*. Prou. 15.

76. Consideret vitam suam esse in manu Dei, qui voluptatum telam quādocunque illi visum fuerit, potest incidere.

77. Perpendat maximum pudorem, quo in Iudicio inspectante toto orbe afficietur: Omnibus enim hominibus atque Angelis peccata eius erunt conspicua.

78. Consideret se execrandi Cacodęmonis mancipium esse, qui ipsum quocunque vult ducit ac trahit, & ceu mācipium pro sua libidine tractat.

Psal. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei,* inquit Propheta.

79. Perpendat Diabolum, quandiu scelera consectatur, nouum semper dominatum accipere, ipsumque instar rabidi Leonis adoriri.

80. Consideret Diabolum hostem suum crudelissimum esse, ideoque expendat quàm insanus sit atque amens, cùm illum audit, illi seruit atque obtemperat.

81. Cogitet quemadmodum Diabolus assiduè moliatur, vt ipsum deuoret, iuxta illud S. Petri: *Fratres sobrij estote & vigilate: quia aduersarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* 1. Pet. 5.

82. Frequenter de patientia Dei sui cogitet, qui assiduè tanquam pater resipiscentiam eius expectat, semper illi tam interiora, quàm exteriora adiumenta ad conuertendum afferens.

83. Perpendat quanta sit dulcissima misericordia Dei, qui semper ad ignoscendum quotiescunque se emendat, paratissimus est.

84. Consideret quàm graue sit atque acerbum, seruire Diabolo, cõtrà, quàm leue sit & suaue seruire Deo.

85. Secum reputet quantam bonorum vim, & quot consolationes spirituales amiserit tanto tempore, quo vitijs fuit obstrictus, quamque ingentia mala perpetrauerit, denique quàm contemptum & vilem se coram oculis Dei & hominum reddiderit.

86. Consideret peccatores apud omnes in odio esse atque infamia, omnes ab ijs abhorrere, eosque digitis monstrare.

87. Perpendat quid exhauserit vt breui aliqua voluptate potiretur, quãtas opes profuderit, quantam honoris iacturam fecerit.

88. Secum reputet se omnibus rebus inanimis, omnibus herbis & plantis, omnibus animalibus esse longè viliorem, Hæc enim omnia quantùm maximè possunt Dei laudi inseruiunt. *Omnia laudant Deum*, inquit S. Augustinus. Ille autem tot modis eum offendit ac contemnit, tantum abest vt eundem laudet.

89. Cogitet de accuratiſſima, ſummeque ſeria ratione, quam omnium ſuorum maleficiorum redditurus eſt, quando cum anxia anima adhuc dum cum morte luctans omni ope deſtitutus coram Chriſto Iudice erit.

90. Perpendat ingens illud certamẽ, quod ſecum Diaboli committent, vt anima ipſius potiantur, & quam, niſi ſe emendauerit, auferent.

91. Secum reputet formidabilem Chriſti ſententiam, quam in iudicio contra omnes peccatores proferet, ex quorum etiam numero, niſi reſipuerit, erit.

92 Frequenter etiam ſecum conſideret offenſionem quam Angelo cuſtodi ſuo affert, qui ipſum benignè ceu fratrem tuetur & defendit, etiam cùm in peccatis viuit.

93. Perpendat quemadmodum bonum Angelum cuſtodem habet: ſic quoque ſingularem ſibi Diabolum adeſſe, qui præcipuo ſtudio in eius perniciem incumbit, extra hos qui aſſiduè veniunt, atque abeunt, alias atque alias inſi-

insidiarum plagas & retia tendentes.

94. Consideret, quemadmodum à bono Angelo nunquam in vita deseretur: ita neque à Diabolo iri relictum, vsque dum anima è corpore migrauerit.

95. Perpendat quod vbi peccat, Angelus bonus aliquantum se ab ipso propter molestiam, quam ex peccatis capit, remouet; tametsi nunquam quoad viuet, ipsum deserat, nec deserturus sit.

96. Secum reputet offensionem, quã sanctissimæ Trinitati affert, intereà dũ peccati fœditate eius imaginem, commaculat, quam animæ ipsius in creatione imposuit.

67. Perpendat secum offensionem, quam Iesu Christo affert, cùm videt benedictum suum sanguinem salutis effectum in ipso non obtinere, intereà dum eum contemnit.

98. Consideret secum summam offensionem, quam B. Virgini affert, quæ ceu indulgens mater, semper coram Filio suo astans pro improbissimo & ingratissimo deprecatur. 99. Po-

99. Ponat ob oculos offenſionem quam toti cœleſti aulæ Angelorum, Sanctorum & Beatorum infert, qui aſſiduè pro ipſo deprecantur, cùm ille eoſdem contemnat.

100. Cogitet de ſua ingratitudine aduerſus ſanctam Eccleſiam, quæ pro illo in omnibus precationibus, & ſacrificijs continenter orat: ille autem ſe ſpurium præbet, flagitioſa ſua vita eam deſpiciens.

101 Conſideret quàm ſit malo exemplo vniuerſæ S. Eccleſiæ: quippe cùm eam tantoperè dehonoret, & peſſimo vitæ ſuæ exemplo cauſa ſit damnationis & exitij plurimorum, qui ipſum partim ſequuntur, partim ſunt ſequuturi.

102. Poterit ſibi ex religioſa quadam pietate Sanctum, Sanctamve aliquam, ſiue Angelum eligere. Hi enim magno adiumento erunt, vt ſe conuertere & maleficia deſerere inſtituat.

103. Præcipuè vero S. Maria Magdalena aut alia Sancta ſeu Sanctus, qui nobilis peccator fuit, magnam illi in omnibus rebus aduerſis opem feret, ex ſin-

singulari commiseratione: vt qui in eadem, qua is, conditione fuerit versatus.

Ad laudem Sanctißimæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus Sancti, nec non, B. Mariæ Virginis, totiusq; cœlestis aulæ absolutus est Libellus Septem Tubarum.

Omnia S. Matris Ecclesię Catholicæ, Romanæ correctioni subiecta sint.



HORRENDI ET TERribiles casus qui

MVLTIS PECCATOribus permissu diuinæ iustitiæ contigerunt, vt reliquos ab offendendo Deo deterreant.

EXEMPLVM I.

QVEMADMODVM miles quidam post commissum adulterium, suâ ipsius forma amissa, Diabolus fuerit visus.



Egitur in speculo exẽplorum, dist. 5. exemp. 81. in Germania miles quidã voluptatibus corporis & libidini deditus fuisse, qui suâ ipsius vxore nocte quadam relictâ ad alienã coniugem comprimendam se contulit.

Hic cùm domum ſuam reuerteretur, Vxor è feneſtra ipſum procul aduentem conſpicatur facie tam deformi tamque horrenda, vt ipſiſſimum Diabolum eſſe exiſtimaret. Ergo tantum clamorem ſuſtulit, vt tota familia excita concurreret: quæ & ipſa herum tam fœdum & terribilem videns fugiebat. Miſer autem ille domum ingreſſus accedit ſpeculum in eo ſeſe cõtemplaturus: in quo faciem ſuam tam fœdam agnouit, vt ipſos etiam Diabolos ipſe ſibi deformitate ſuperare videretur. Poſtero igitur die intelligens ſe per peccatum adeò deformatum, admiſſi ſceleris pœnitudine captus, templum confeſſurus petit. In via autem Paſtores, qui pecudes in paſcua agebant, cùm monſtrum tam horrendum cernerent, Diabolum rati huc illucque ingenti clamore exterriti diffugiebant. Quodque cogitatu magis eſt horrendum, ipſa etiam bruta animantia tam horribile viſum editis mugitibus fugitabant. Illud autem ſtuporem augebat maximè. quod Sacerdos, qui iuxta templi val-

vas preces tum fortè ex officio suo dicebat, aduentantem eum conspicatus facie tam formidabili, ratus & ipse Cacodæmonem esse, subitò in templum cucurrerit, foribus eius astante altero occlusis. Vnde miser videns se omnibus esse terrori, omnesque suum conspectum fugere, lugubri voce Sacerdotem collachrymans compellabat, orans, vt sibi aperiret, non se Dæmonem velut ipse arbitraretur, sed hominem esse, quem DEVM ob commissum scelus in eam figuram conuertisset: ideoque se pœnitudine captum velle confiteri. Quâ re sacerdos cognitâ, fores homini aperit: qui simul ac culpam erat fassus, pristinæ suæ formæ extemplò restitutus est.

Ex hoc exemplo peccatores, præcipuè verò Adulteri intelligere atque animaduertere poterunt, quantoperè anima per peccatum deformetur: cùm DEVS etiam velit, vt in corpore isthuc appareat. Benedictus IESVS eam vnicuique gratiam conferat, vt maledictum peccatum non minore

studio,

ſtudio, quàm teterrimum & execrabilem Diabolum fugiat atque horreat, vt qui ob peccatum in ſuam figuram miſeros peccatores transformet.



Exemplum II.

DESCRIBITVR hic caſus ad legendum & audiendum perquàm terribilis, qui Fratri cuidam Minori contigit, qui totus gulæ deditus erat.

IN prouincia Marca quemadmodum in Chronicis F. Minorum tertia parte, lib.2.cap.23. legitur, fuit Frater quidam ex eorum numero, qui ſecularium confeſſiones excipiunt. Hic vt ingluuiem ſuam commodiùs expleret, ab ineunte inde adoleſcentia infirmam valetudinem ſimulabat, atque ita de die in diem de cibis ad palatum ſuum facientibus ſummo ſibi ſtudio prouidebat.

 debat.

debat. Cùm igitur iam tempus Aduentus aduenisset, quo tempore Fratres ex ipsorum regula ieiunare tenentur, Frater Hypolitus (id enim ei nomen erat) accedit Guardianum, & de more: Pater, inquit, scito me non posse ieiunare, nec ieiunium illud Quadragesimale posse obseruare. Cui Guardianus: cùm te igitur ieiunare posse neges, nolo te quoque cogere, sed totum hoc tuæ conscientiæ committo: Cæterùm velim te eodem ciborum genere cùm reliquis Fratribus esse contentum. Ad hæc Frater opus sibi esse carnium esu respondebat: subiungit Guardianus se nullo modo isthuc concessurum, nisi de Medici sententia & consilio: mandatque omnibus Fratribus ijs, qui confessiones audiunt, vt si clàm atque occultè carnibus vesceretur, ne ipsum absoluerent. F. Hypolitus qui nec Deum, nec homines metuebat, sibi carnem à sæcularibus hominibus & propinquis suis coquendam curabat, eaque pro sua libidine vescebatur. Accidit autem eodem tempore Beatus F. Ioannes Capistranus generalis Ordinis Vicarius in eum locũ

vene-

venerit. Qui quòd tardiùs aduenisset cum comitibus suis in Refectorio cœnulam sumpsit. Frater Hypolitus, vt mos & consuetudo Fratrum fert, Vicarium generalem, benedictionem petiturus inter cæteros accessit, quâ acceptâ cœpit deinde cum vno de Sancti comitibus sermonem conferre, quem interrogabat fuissetne bono viatico instructus, atque ecquid valeret? cui alter se lassum atque ex ieiunio debilitatum respondebat. Atqui non eodem modo ego me habeo, subiungit. Hypolitus: sed hac vespera quartam optimè apparati anserculi partem comedi. Quâ re auditâ comes B. Ioannis: Frater, inquit, nondum ventriculus tuus cibum illum confecit, atque in ipsa concoctione quid tibi euenturum sit, intelliges.

Cùm igitur tempus eundi cubitum adesset, in suum quisque cubiculum discesserunt: acciditque idem infœlici isti Hypolito quod miseris olim Iudæis, de quibus Scriptura: Adhuc, inquit escæ erant

erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Nam primâ noctis vigiliâ ingens armatorum hominum tumultus in dormitorio audiebatur, tanquam si atrocissimum inter se prælium commisissent. Vnde omnes Fratres è somno exciti & ingenti illo tumultu exterriti cubiculorum ianuas occludunt. Porrò Beatus F. Ioannes magno animo pariter atque corporis robore quo excellebat, è suo cubiculo exijt, vt quid ibi turbarum esset intelligeret. Qui licet ingentem strepitum audiret, nihil tamen quicquam cernebat. Cæterùm armatos equites infestis cuspidibus inter se concurrentes audire sibi videbatur. Vnde Fratrum fores pulsat, quorum nemo tamen ob metum aperire audebat. Solus Guardianus, qui ipsum agnouerat, suum cubiculum aperit, ipsumque accedit. Quem Sanctus manibus apprehensum in templum secum adduxit, vbi Cruce atque aquâ cõsecratâ sumptâ in dormitorium reuertuntur. Simul atque autem lumen & Crux allata fuerunt, omnes isti tenebricosi Cacodæmones diffugerunt. Fra-
tres

tres verò vocem audiebant quæ ter repetebat: Heu me infœlicem, heu me infœlicem! Cumque omnes Fratres accurrissent & coacti essent, circumspicientes Fratrem Hypolitum solùm deesse viderunt, currunt igitur ad eius cubiculum, pulsant, & vt ipsis aperiat conclamant, verùm cùm nemo responderet, mãdauit Guardianus, vt cubiculum per vim aperirent; quo aperto (ô rem horrendam) Fratrem Hypolitum exanimem nudumque instar carbonis ac picis nigrum in terra inuenerunt: Habitu ad pedes spondæ, mattâ, lodicibus, stragulo, puluinis hinc inde in lecto iacentibus: cubiculum verò esculentis rebus optimè instructum viderunt. Quibus rebus ab omnibus cognitis & consideratis, à Guardiano mandatum est, vt non secùs ac bestia foras extra locum sacrum terræ mandaretur.

O rem horrendam & formidabilem! vnde omnes gulæ deditì, præcipuè vero Religiosi intelligere poterũt, quam animæ ipsorum perniciosum sit, cùm vitium gulæ, tum Regulæ ipsorum viola-

violatio. Iesus indulgentissimus dare nobis dignetur gratiam, vt ex huius miseri atque infœlicis Hypoliti periculo sapere discamus, qui ob insatiabilis suæ gulæ ingluuiem ab ipsis Diabolis interemptus est, eiusque anima in caliginosum Infernum asportata, vt ibi ob breuissimam voluptatem sempiternas pœnas persolueret.



Exemplum III.

NON MINVS TERribile exemplum est quod sequitur: vnde homines spirituales facilè poterunt addiscere, quantâ cautione per viam diuini cultus sit ambulandum.

IN ijsdem Chronicis F. Minorum eâdem parte lib. 2. cap. 24. alia historia legitur, quæ magnum terrorem hominibus spiritalibus incutere debeat. In Regno Hungariæ, fuit Frater quidam

ex ordine Minorum, Iustinus nomine, qui totus sacro exercitio orationis deditus longos progressus in contemplandi studio fecerat. Hunc quodam tempore pia quædam cupido sacra loca Romæ inuisendi incessit, atque adiunctis septem alijs eiusdem Ordinis comitibus itineri se accinxit. Cumque in Italiam peruenisset, primò sacrosanctum & augustum Montem Aluernam, vbi Seraphicus Pater S. Franciscus sacratissima stigmata acceperat, inuisit. Inde multa alia loca, vbi Seraphicus Pater quondam fuerat, obiuit. Quocunque verò veniebat semper loca solitaria atque ab hominum frequentia remota petebat, partim vt maiore mentis tranquillitate ac dulcedine precari, atque animum in tollere & erigere posset: partim vt si per diuinum fauorem in ecstasin abriperetur (frequenter ante in aerem attolli solitus erat) à nemine quoquam videretur. Tandem cum Romam peruenisset, ac die quodam cum Fratribus in Monasterio, quod Ara Cœli vocatur,

manè

manè comederet, ac piam quandam lectionem, quæ tum recitabatur diligenter attendisset ac considerasset, subitò à mente atque à seipso discessit, & velut omnis sensus expers in præsentia Fratrum substitit, qui ipsum ingenti admiratione & pietate in DEVM commoti aliquantisper intuiti, tandem in aerem eundem ferri viderunt, vsque dum ad imaginem sanctissimæ Virginis, quæ in pariete Refectorij depicta erat, pertingeret: atque hoc modo sublimè non secùs atque si humi stetisset, brachijs in formam crucis transpositis firmè corpus librabat. Accidit vt rei tam nouæ Beatus Frater Ioannes Capistranus interesset: qui Fratribus mandauit, vt in templo gratias Deo agerent: ipse autem cum comite suo ibidem mansit, vt ecstasios illius exitum videret. Res subitò ad Eugenium Pontificem Maximum huius nominis quartum, qui tum Ecclesiam gubernabat, delata est. Accersit igitur ad se F. Iustinum, quem summâ animi voluptate aspexit: nec permisit, vt ad pedes suos prosterneretur, sed arctissimè eum cōplexus

plexus iuxta se collocauit, humanissimè tractauit, omniáque indulta, ac beneficia, quæ petiuit, annuit atque concessit. Videns ergo Frater Iustinus tanta humanitate, tanta liberalitate tanto honore à Pontifice se acceptum, extemplò animo intumuit, atque in detestabile illud arrogantiæ crimen, à quo diuina Maiestas tantoperè abhorret, incidit. Ac cùm Monasterium repeteret, fastûs & inanis ostentationis plenus, fit illi obuiam Beatus Ioannes Capistranus, qui sancti Spiritus monitu & instinctu ingentem ruinam Fratris Iustini non ignorans: Frater, inquit, ex Monasterio in palatium Pontificis sanctus abiuisti: nunc ex palatio in Monasterium Diabolus reuerteris. Ille autem detestabili superbiâ adeo intumuit, tantósque spiritus sumpsit, vt reliqui Fratres diutiùs eum videre non sustinentes contempserint & despexerint. Tandem infœlix ille Roma discessit, in Hungariam patriam suam reuersurus, ac in primi diei itinere cœpit cum comitibus suis altercari. Cumque ad fontem quendam acces-

accessissent, ibique vt comederent restitissent, in tantam contentionem cum ipsis venit vt ad manus ventum sit, atque vnum ex comitibus in brachio cultro læserit. Quam ob causam Romam reuersus, in carcerem ad Aram Cœli fuit coniectus. Vnde cùm posteà liberatus esset, non tantùm per regnum Neapolitanum, sed per alias quoque regiones ceu erro cum plurimorum offensione, & citra vllam obedientiam vagatus est, addo vt non multo pòst quàm Romam redijsset rursum in vincula coniectus sit, in ijsque diem extremum clauserit.

Hæc historia exemplum præbet ijs qui se totos in rerum diuinarum contemplatione collocarunt, quàm prudenter vitam instituere, modestiam semper colere, & casus qui in tam periculosa via diuini cultus sæpè eueniunt, extimescere debeant. Benedictus Iesus nobis adsit.
Amen.

Exemplum IV.

SEQVENS EXEMplum vt terribile, ſic diuinæ clementiæ quoque plenum eſt, In eo enim apparet quantis periculis ſint expoſiti peccatores, quandiu ſceleribus manent obnoxij: contrà elucet quoque in eodem miſericordia Dei, qua vtitur in eos etiam, qui illam non efflagitant.

LEgitur ſecunda parte Chronicorum Fratrum Minorum hoc maximè terribile quod ſequitur contigiſſe. Habitauit in prouincia (Aqua mortua loco nomen eſt) vir quidam qui concubinam ſub ſpecie matrimonij habebat. Cæterùm Fratres Minores colebat atque obſeruabat diligentiſſimè, Nam cùm iter illac faciebant, ab vtroque benignè atque humaniter hoſpitio excipiebantur. Acci-

Accidit vt mulier in morbum incideret, eodemque tempore duo Fratres Minores, quorum alter Sacerdos erat, alter laicus, illuc venirent, vt in ædibus de via pernoctarent. Cumque ægrotam fœminam inuiserent, Sacerdos pijs verbis eam cohortabatur, vt se ad mortem præpararet. Quæ cùm se paratam esse respondisset, Fratres in assignatum sibi cubiculum quieti se daturi discedebant. Frater autem qui laicus erat, extra cubiculum ingentem tumultum audiebat. Surgens igitur innumerabilium Cacodæmonum cœtum videbat, qui horrendum vociferantes, vltrò citroque in area illa concursabant: quorum vnus, qui reliquorum princeps videbatur, alios in hæc verba alloquebatur. Quid longiùs differtis? quid agitis? quid expectatis? Facessite in cubiculum huius mulieris, atque execrabilem eius animam corripite, mihique afferte, vt eandem nobiscum in Infernum asportemus. Nam cùm tot annos Heri ædium concubina fuerit, non potest non esse nostra. Nunquam enim flagitium illud fassa est, quo tot

annos

annos fuit commaculata. Audiuit deinde Diabolum alium ita respondentem: Scito Domine, adesse Pharisæum quendam qui nobis obstat, & valde metuo, ne is mulierem ad confitendum inducat. Cui alter, Abite, inquit, & quàm maximè potestis, eum verberate, vt ne isthuc facere possit. Cacodæmones simùl primùm mandatum illud acceperant, ingenti furore atque impetu misellum F. Laicum adorti sunt, quem tam malè fustibus mulctarunt, vt eum non tantum seminecem reliquerint, sed alterum quoque oculum euellerint. Sacerdos eius comes, cùm turbas audisset, accurrit ad comitem, qui quæcunque à Diabolis audiuerat, ei narrauit, causam quoque quamobrem se interficere voluerint edixit: Hac re intellectâ Sacerdos extemplò in cubiculum ægrotæ mulieris cucurrit, visumque illud & quicquid contigerat, tantâ grauitate (vt qui summo studio salutem animæ desideraret) exposuit, vt eam diuinæ gratiæ fauore accedente, ad summam scelerum suorum pœnitudinem induxerit. Illa

delicta sua magno cum dolore animi incusans & confessa, Deum, vt flagitiosæ suæ antè actæ vitæ misericordiam tribueret orauit. Atque ita multis aduersus Deum pietatis indicijs animam reddidit. Sacerdos deinde comitem suum in Monasterium Lunellense curauit deportandum, vt plagæ quas Cacodæmones fustibus illi inflixerant curarentur, qui paucis post diebus ad Dominum ex hac vita transiuit.



Exemplum V.


SEQVENS HISTORIA perquam terribilis est, vt peccatorem ad instituendam vitæ mutationem, vti decet, commoueat, atque ad Deum, à quo per peccatum discesserat reuertatur.

IN eadem Prouincia, alius perhorrendus casus contigit, quemadmodum eodem loco Chronicorum F. Minorum

norum legitur. Inciderat in grauem morbum vir quidam nobilis, qui intereà cùm in lecto morti vicinus decumberet, supra domum magna Dæmonum vis coruorum figurâ volitare palàm videbantur: qui violatu & crocitatione suâ omnes, qui ægrotum inuisum accedebant adeò infestabant, vt ingruentes rostris eos impeterent, & ante oculos circùm volitarent non sine magna omnium admiratione simul & terrore. Erat huic Nobili filius, qui cùm loquacium illorum coruorum nouitatem vidisset, intelligens esse Diabolos, accessit ad lectum Patris, eumque vehementissimè orauit atque obtestatus est, vt noxas suas confiteretur, & hostibus suis condonaret: non ignorabat enim patrem ad iram & vltionem persequendam esse maximè procliuem. Infœlix Pater cognitâ Filij exhortatione pro eo quòd consilium accipere debuerat, conuersus ad illum & indignabundus his verbis obiurgauit: Quid tu mihi narras fili? Tu hastâ atque armis sumptis inimicos meos vlciscere & perse-

quere; huiusmodi concionibus Fratribus quorum illud est officium relictis. O rem horrendam! Filius responsum patris miratus: Ne, inquit, Pater ita loquere, sed confitere, teque ad mortem præpara: Multi supra ædes corui volitant, quos ex certis indicijs Diabolos esse iudico, qui ob animam tuam aduenerunt. Quocircà de rebus tuis cogita, nec longiùs differ, sed te aduersus eos sanctæ Ecclesiæ Sacramentis arma: timeo alioquin ne te viuum etiam cum corpore pariter atque animo in Infernum hinc asportent. O magnitudinem diuinæ clementiæ! Tantam hæc filij oratio vim habuit, vt ingentem patri metum & pauorem incusserit, eumque ad scelerum suorum pœnitudinem commouerit. Iubet igitur continuò accersiri Guardianum F. Minorum, qui solicitudine plenus veniens, cùm domum intrare cuperet, omnes corui tanto in ipsum impetu inuolabant, vt licet multi ei subuenirent, eumque ab importunis & execrandis coruis defenderent: tamen difficulter ingredi posset.

ſet. Simul atque Pater erat in ædibus, ſignat eas ſanctæ Crucis ſigno, ſubitóque in cubiculum ægroti, vt confeſſionem eius exciperet, cucurrit. Extemplò ægrotus cœpit ingenti metu peccata ſua accuſare atque recenſere, grauiter dolens, quòd diuinam Maieſtatem toties offendiſſet. O rem mirabilem! dum Nobilis noxas ſuas confitebatur, ad quoduis peccatum quod proferebat, coruus ex tecto auolabat, atque ita ſingulatim alius poſt alium omnes diffugerunt. Confeſſione confectâ ille vi atque virtute pœnitentiæ ex tam horrendo & formidabili diſcrimine in quo verſabatur liberatus eſt, ac paulò pòſt è miſero corpore emigrauit. Hic caſus ſi vel tantillum cogitationes veſtras ad eum referretis non exiguam vim haberet ad vos à vitijs deterrendos, voſque cum indulgentiſſimo Deo, qui vos tantoperè amat, tandem reconciliandos. Faxit Deus, vt iſthuc faciamus, Amen.



Exemplum VI.

SI MISERI FOENERATORES, qui animam suam vno asse Diabolo vendunt, casum illum qui inferiùs describitur, diligenter expendere vellent plurimùm animabus ipsorum esset profuturum.

Legitur in Chronicis; F. Minorum part. 2. lib. 5. cap. 2. opulentus quidam Mercator idemque Fœnerator in matrimonio habuisse, mulierem claram ac nobilem, ex qua multos liberos procreauerit. Accidit vt miser ille fœnerator in grauem morbum inciderit: Cùm fatum sibi instare animaduerteret, iussit Fratrem quendam Minorem cui confiteretur, ad se venire. Qui veniens cum illo de animæ salute edisserens, accuratissimam anteactæ vitæ ratio-

rationem reddendam ipsi esse demonstrabat, opusque esse, vt si horrendos Inferni cruciatus, qui omnibus ijs qui animo lethali crimine defoedato moriuntur comparati sunt, euitare vellet, quicquid per iniuriam adeptus esset, restitueret. His verbis miser homo pauore perculsus est, omniaque quæ audiuisset se facturum promisit. Itaque Sacerdos de omnibus criminibus eum absoluit, & quàm potuit maximè confirmauit, deinde in Monasterium reuersus est. Simul atque Sacerdos abiuerat, Vxor, cognito quid maritus in testamento ordinasset, apprehendit omnes liberos suos, eosque lachrymans secum in cubiculum ægroti mariti adducit: lamentans atque ingemiscens eum orat atque obtestatur, vt misereorum liberorum & vxoris misereceret, neve tam inhumanus & crudelis esset, vt eos fame mori sineret. O rē ingentē! tantā vim vxoris & liberorū lachrymæ habuerunt, vt miser ille atque infoelix, qui iam iam moriturus erat, illorum potiùs, quàm suæ ipsius animæ miser-

misertus, accersiuerit Notarium, atque id, quod antè in testamento de restitutione bonorum iniustè adeptorum constituerat irritum fecerit. Frater qui confessionem eius exceperat, ab ipso Notario hac de re certior factus, extemplò domum deplorati illius accurrit, quò simul primùm venit, omnem operam ac studium in admonendo adhibuit, vt quæ antè sibi promisisset, ob animæ suæ salutem seruaret, confirmans, nisi isthuc faceret, ipsum damnatum moriturum atque Infernum subiturum. Pater, respondet fœnerator, condona mihi, si adduci nequeo, vt id, quod me iubes, faciam, vxore liberisque meis in tanta calamitate relictis. Ac licet multa à Fratre illi dicta fuerint ac sæpius repetita, vt alienas opes restitueret, animamque suam seruaret: tamen surdo cecinit. Ergo cùm miseri hominis pertinacem in damnatione animum aduerteret, ingēti animi commotione ipsum his verbis alloquutus est: Cum tu quod tam prudenter ac sapienter instituěras ob animę salutem tuæ irritum feceris, ego quoque diui-

no ius-

no iussu absolutionem eam, quâ te de criminibus tuis absolui irritam facio. O rem horrendam & terribilem! Vix formidanda isthæc verba protulerat, cùm subitò coruus in ædes aduolauit, qui rostro ægroti ori admoto, tantisper ibi adhæsit quoad infœlicissimam illam animam accepisset, secum in Infernum asportaturus.

Faxit Dominus, vt quicunque fœneratores hunc casum legerint, terrore perculsi aliter atque hic, propter animarum suarum salutem se comparent vitamque instituant.





Exemplum VII.

SEQVENS HISTORIA improbis & sceleratis hominibus terribilis est: contrà summam consolationem afferet ijs, qui, licet in maximis calamitatibus versentur, pura tamen mente Deum colunt & venerantur.

Legitur in vitis SS. Patrum fuisse Eremita, qui frequenter Deum orauerit, vt se animam quandam è corpore iam emigrantem fineret videre. Cùm igitur quodam die in ciuitatem se conferret, sportulas nescio quas empturus, incidit in ingentem hominum multitudinem, qui ad ædes ibi proximas concurrebant. Cumque nouæ istius rei causam interrogasset, responderunt opulentum in illa domo virum habitare, qui ægrotus cum morte iam luctaretur. Quâre DEI seruus intellecta, inter cæteros & ipse domum ingressus,


ingreſſus, contulit ſe in cubiculum ægroti cum morte iam luctantis, vbi (ô rem terribilem) vidit ingentem Dæmonum multitudinem circa ægroti lectum coruorum figurâ: vidit quoque vnum ex fœdiſſimis Diabolis ingentem librum manibus tenenetem, ex quo quaſcunque de infœlice illo diuite querimonias habebat, recitauit. Aſpiciens verò ad alteram lecti partem, vidit quoque complures pulcherrimos Angelos, qui ægrotum circumſtabant, librum habentes, quem diligenter per voluebant ſi quas fortè virtutes rectéque facta Diuitis illius & auari hominis reperirent. Cumque nihil boni rective in venirent, magnâ ægritudine atque dolore affecti abierunt. Aegrotus intereà dum omnia iſthæc optimè videbat, huc illucque per lectum ſeſe volutabat, attonitusque & contremiſcens: Domine, inquit, miſerere mei. Cui teterrimus & horrendus Cacodæmon reſpondit: Nunc tandem tibi in mẽtẽ Dei venit? ſed ſerò Miſerere canis ſcelerate. Hoc dicto miſeram animam

ex deteſtabili corpore extraxerunt, ſecumque horrendis vlulatibus & tumultuationibus ingenti oratione in Infernum aſportarunt. Eremita cùm rem vſque adeò formidabilem vidiſſet, lachrymans & contremiſcens ex domo illa in templum quod proximè erat, ſe contulit. Cumque in Cœmiterium veniſſet, vidit pauperculum quendam atque indigentem hominem, humi ægrotum iacentem, ab omnibus deſertum, qui ex ingenti miſeria atque indigentia (vt qui etiam vnius aquæ guttulæ penuria laboraret) moriebatur. Seruus Dei miſericordiâ motus ad pauperculum animam iam exhalantem acceſſit, verbiſque pijs & grauiſſimis ad patientiam, vtque in diuina bonitate ſpem omnem & fiduciam collocaret, exhortatus eſt. Intereà verò dum ipſum ita confirmabat, audiuit ex miſeri pauperculi ore voce debili & moribundâ hæc verba exire. Hic vre, hic ſeca Domine, vt in æternũ mihi cõdones, meiq; miſerearis. Eaque locutus, ecce Cœlũ diſceſſit, & complures Angeli pulcherrimi ouantes ſuper ipſum deſcenderũt,
eum-

eumque elegantissimâ coronâ cinxerunt. S. verò Michael Archangelus, coelestis militiæ Princeps, & huius Angelici clarissimi coetus caput his verbis fœlicissimam illam animam alloquutus est. Veni formosa Domini mei Iesu Christi sponsa, accipe coronam quam tibi in æternum præparauit. Fœlicissimus pauperculus his verbis auditis: Vbi est, inquit, Dominus meus, spes & dulcedo mea? Atque ecce eodem momento summo splendore & specie è Coelo Iesus descendit, ingenti Angelorum & Sanctorum multitudine comitas, & ad animam illam conuersus verbis suauissimis amoreque plenis: Veni, inquit, de Libano Sponsa mea, veni coronaberis. Benedicta pauperculi anima dulcissimâ voce IESV Sponsi sui in medio clarissimi illius & pulcherrimi Angelorum ac Sanctorum coetus stantis percepta, ex calamitoso corpore, atque ex omnium malorum ac miseriarum incendio huius mundi exiuit, in eoque coetu prorsùs explendens, atque ouans in Coelum ascendit, ibique in Sanctorum Martyrum numero fuit collocata.

Heu vos infœlices Diuites ! audistisne diuitis illius casum & calamitatem? vidistisne quem exitum voluptates eius atque opes sint sortitæ? annon cognouistis rerum vices cum diuite illo vestri simili fuisse mutatas? Metuite ergo miseri, ne vestigia illius sequentes idem vobis accidat. Vos verò pauperes atque inopes, qui in omnium rerum indigentia & miserijs viuitis, annon modò intellexistis, quanti intersit in hoc mundo inopiam, labores, calamitates perferre & sustinere? Enitimini igitur, fratres mei, vt sanctam paupertatem & quicquid mali à Domino vobis immittitur, in hoc mundo patienti animo feratis. Nam certissimè vobis confirmo vos in altera vita fore ditissimos ac fœlicissimos, & in summo dignitatis gradu in Cœlo collocatum iri, Amen.

Exem-



Exemplum VIII.

TERRIBILIS ET HORrenda res inferiùs narratur. Væ autem ijs qui eâ lectâ à peccatis non abstinent. Nam certè ijs licet metuere, ne idem sibi accidat quod peccatrici de quâ hic narratur.

FVit in Diœcesi Coloniensi puella quædam vaga, totaque libidini & voluptatibus mundi dedita. Accidit igitur vt nocte quadam in insomnijs ad Tribunal Christi correpta sibi esse videretur, quò complures animæ, vt iudicarentur erant adductæ. Puella coram diuina Maiestate, quæ ingenti Angelorum Sanctorumque multitudine erat circumdata, astare sibi videbatur, cernebatque multas animas eò paulatim conuenire, quæ partim Inferno,

par-

partim Purgatorio adiudicabantur, partim in Paradiſo remanebant. Videns verò eorum, qui Infernum ſubibant, numerum eſſe longè maximum, attonita ſuæ peſſimæ conſcientiæ morſum ſenſit, ac contremiſcens cæpit ſe Domino commendare, & miſericordiam eius ac veniam grauiſſimorum ſuorum ſcelerum implorare. Quo facto ille benigniſſimus ad eam conuerſus: Porrige mihi, inquit, vnum digitum, & ego tibi vtramque manum dabo: hoc eſt, oſtende mihi indicium aliquod te in poſterum à turpiſſimis illis flagitijs abſtenturam, & ego tui miſertus ſanctâ meâ gratiâ animam tuam implebo. Puella ex inſomnio experrecta, contulit ſe extemplò ad piam quãdam mulierem de viſo ſuo cum ea loquutura. Quæ re cognitâ, dixit fuiſſe quandam admonitionem Dei, vt vitæ ſuæ improbitatem commutaret, ſeſeq; emendans vitia & peccata in quibus verſaretur, relinqueret. Puella hoc viſo perterrefacta ad breue tempus ſeſe emẽdauit, ſed paulò pòſt ad eadẽ ſcelera reuerſa eſt. Dominus inconſtantiã e-

ius

ius videns ad commotionem illam flagella calamitatum & grauiſſimorum morborum adiunxit, vnde tamen illa nullum animæ ſuæ fructum collegit. Venit tandem miſera ad extremam & formidabilem mortis metam, animaque ſua ex luxurioſiſſimo & fœtidiſſimo corpore ſeſe exoluit. Simul verò primùm erat mortua, aſſeri eam impoſuerunt, & vno tantùm linteamine operuerunt. O rem auditu & narratu fœdam atque horrendam! Extemplò in proxima platea duo rabidi canes ſe mutuò mordentes auditi ſunt ingenti vicinorum pauore ac trepidatione, qui omnes ciuitatis illius canes concurrere ſeſeque mutuò mordere vnà cum duobus ſuperioribus viderunt. Cuncti deinde domum ingreſſi linteamen, quo infœlix illa demortua erat operta, certatim dilacerarunt. Atque etiam cadauer in mille fruſta dentibus dilaniaſſent, ni multi ciues accurriſſent, fuſtibuſque eos arcuiſſent: quos abigere ingens labor fuit. Ad extremum cum funere puella elata eſt, ſepultaque in cœmiterio extra templum. Ecce verò to-

tus

tus ille latrantium canum grex, quem antè abigerant reuersus pugnam inter se mordens instaurauit, superque sepulchrum demortuæ collatrauit. Quas ob causas ingens de salute miseræ puellæ dubitatio apud vniuersos oppidanos exorta est.

Discite hic peccatores, vocibus & admonitionibus DEI obtemperare, vt ne sub mortem vobis obiratus è sanctissimo suo conspectu submoueat.

(∴)



Exem-



Exemplum IX.

QVOD INFERIVS narratur, paucis quidem comprehenditur, sed ingentem habet terrorem, si quis diligenter illud secum consideret. Apparet enim seuerissima Dei punitio eius rei, quæ à vecordi mundo in nullo vitio ponitur.

NVllum dubium est, quin mundus vanus atque amens obscœnas cantiones & choreas in rebus adeò leuibus ponat, vt per hæc diuinam Maiestatem ne minimùm quidem offendi arbitretur. Verùm quàm graue peccatum sit saltare præsertim, optimè sequens exemplum demonstrat. Ad hoc igitur institutum rem formidabilem narrat Discipulus in sermonibus

quæ

quæ puellæ cuipiam lasciuis cantibus & saltationibus, quibus complures alios ad turpes & inhonestas cupiditates, alliciebat, deditæ contigit. O rem horrendam! O iustitiam Dei! O Iudicia eius abscondita & terribilia! Accidit vt cùm salacissima isthæc impudens puella cantaret saltaretque, magno ventorum impetu abrepta fuerit, & in aerem sublata. O rem expauescendam! cùm in aere huc illucque à vento agitaretur, multi teterrimi & horrendi Cacodæmones cucurrerunt, qui eam citra vllam commiserationem plurimis flagellis crudeliter cæciderunt. O ingens spectaculum! Omnes qui præsentes aderant, astabant attoniti, eamque sublimè à vento huc illucque agitari videbant, simul quoque lamentationes inter verberatum, & virgarum crepitus audiebant, sed qui eandem cæderent non cernebant. O rem terribilem! decidit paulò pòst humi exanimis fœdissima aspectu & terribilis, omnibus membris, quibus tanto tempore Diabolo inseruierat confractis.



Heu vos, qui diebus festis nihil aliud, præterquàm choreis & turpibus catiunculis datis operam, discite hinc quid ex vsu sit, ne vobis idem accidat.



Exemplum X.

IN HOC EXEMPLO ingentem spem atq; fiduciam de diuina misericordia peccatores possunt concipere, licet in altissima vitiorum abysso versentur, modò emendantes se ita comparent vt à vitæ prauitate desistant.

SCribit Discipulus Monialem quãdam suasu & hortatu Diaboli è Monasterio exijsse, vitamque flagitiosam & meretriciam complures annos traduxisse. Ad extremum mente per diuinam bonitatem mutatâ & collustratâ, è calamitoso illo statu in Monaste-

nasterium ope diuinę gratiæ rediјt, cœperitque ob delicta sua asperrimam pœnitentiam agere, varijsque ac multiplicibus corporis cruciamentis & spiritalibus exercitijs diuinam Maiestatem placare nitebatur. Quoties de iudicio, iustitiaque Dei, & Inferorum supplicijs cogitabat, scelerum suorum veniam se consequi posse fermè desperabat. Tanta eorum multitudo & magnitudo erat. Rursus quoties Beatorum fœlicitatem & Cœli gloriam secum reputabat propè diffidens exanimabatur, non ignorans neminem in illud posse ingredi vitijs commaculatum. Verùm ô Passionis IESV dulcedinem, cùm animum ad considerationem retulisset, quid Dominus pro ipso fuisset perpessus, summam fiduciam concepit & lugens ita Dominum suum alloquuta est: Quid tibi, Domine mi, reddam pro tot beneficijs, quæ in me contulisti, proque tot acerbitatibus quas pro me perpessus es? Accidit vt die Natali CHRISTI secum expendere cœperit, quemadmodum infantulus IESVS pro nobis natus esset. Cumque cogi-

cogitasset, infantes exiguâ re si quando
offensi sunt posse placari, hac iucundâ
& piâ consideratione accessit ad ima-
ginem Beatissimæ Virginis, quæ bra-
chio infantulum suum Iesum sustine-
bat, totaque lachrymis perfusa, ingen-
tique dolore ac pœnitudine commota
cœpit Infantulum Iesum orare, vt pro-
pter benignissimam infantiam, in qua
in hunc mundum ad seruandos pecca-
tores venisset misericordiam ipsi tri-
bueret. O dulcedinem & suauitatem
infantis Iesu! extemplò vocem audi-
uit, quæ dixit, propter benignitatem e-
ius infantiæ, per quam illa rogasset, om
nes noxas sibi esse condonatas. Ac de-
inceps omnẽ vitæ suæ cursum in agen-
da pœnitentia confecit: in virtutibus
longius in dies progressa quoad tandẽ
discessit dulcissimo illo Iesu fruitura,
cui tantum debebat, tantisque benefi-
cijs erat deuincta.

Considerate peccatores diligenter, miseræ huius ruinam, Deique vestri clementiam, qui benignè misericordiâ suâ tributâ illi condonauit. Atque hinc discite relictis peccatis

vos-

vosmet emendare, ab indulgentissimo Deo vestro veniam expectantes.



Exemplum XI.

HOC EXEMPLVM mirificè omnibus hominibus demonstrat, quàm clemens sit & dulcis Beatissima virgo: item quantoperè diuinæ Maiestati choreæ, obscœnæ cantiones & rerum vanissimarum mundi studium displiceat.

NArrat Discipulus in sermonibus fuisse fœminam quandam nobilem, piam Beatæ Virginis cultricem, quæ liberos suos docuerat, vt in rebus suis aduersis ad eam confugerent, Angelicâ salutatione pronunciatâ. Inter cæteram verò sobolem hæc pia Mulier filiam habebat vagæ leuisque ac dissolutæ vitæ, quæ ad nullas res alias, quàm ad choreas, cantus, aliaque vanissima hu-

huiuſmodi oblectamenta animum adiungebat. Quam ob cauſam cùm à matre frequenter obiurgaretur, ipſa deridebat, effrænatas ſuas cupiditates ſequuta. Tantoque moribus fiebat diſſolutioribus, quòd eius pater diuerſo à matre ingenio ac moribus præditus (quod filia formâ eſſet liberali & venuſtâ) in omnibus quæcunque libebat, illi obſequebatur. Accidit quadam die Dominica, vt cùm ſaltando eſſet defatigata, in hortum iuerit, ſub vmbratili arbore quietura. O rem terribilem! vix in herba puella conſederat, cùm Diabolus teterrimâ atque horrendâ figurâ coram apparuit, iubens illam ſe comitari. Ad cuius conſpectum & ſermonem attonita puella: Quis tu es, inquit? cui ille, Ego Diabolus ſum, inquit, cuius tu facta imitaris, cuiuſque rete atque armatura ad animas capiendas fuiſti. Veni impudens, tempus iam venit, vt turpiſſima tua flagitia puniantur: neque tua tantùm, verum etiam illa, quæ vanorum tuorum ornamentorum, cantionum obſcœnarum, & ſaltationum occaſione alij commiſerunt. O

rem expauescendam! apprehendit manibus eam Diabolus, perque vim abducere secum conabatur. Exclamauit misera puella: Maria Virgo adiuua me, inquiens. Et quemadmodum à Matre docta à pueritia erat, angelicam Salutationem contremiscens pronunciauit. O vim dulcissimæ precationis huius! Simul atque prima verba protulerat fœdissimus Diabolus eam relinquens terribili voce exclamauit: Maledicta sit illa, quæ hanc precationem te docuit, quam nisi dixisses, ego te permittente iusto Dei iudicio in Infernum asportaturus fuissem, vbi vnà cum socijs tuis non ob ea tantum flagitia, quæ ipsa cõmisisti, sed etiã ad quæ cõmittẽda alios induxisti, fuisses punita.

Hoc optimum fuit remedium, ad hanc proiectæ libidinis puellã emendandam. Neque enim ampliùs saltauit vnquam, sed relictis omnibus pompis rebusque vanis omnem viuendi rationem correxit, seque Beatissimæ Virginis, vnde à teterrimo illo Cacodæmone fuerat liberata, cultui totam dedidit.





Exemplum XII.

QVAERES INFERIVS legitur, ingentem peccatoribus, præcipueq́ Religiosis terrorem incutiet. Faxit Deus, vt ab omnibus diligenter ad ipsorum salutem expendatur atq́ intelligatur.

LEgitur in Chronicis Fratrum Minorum parte 2. lib. 9. cap. 22. fuisse in Sicilia Frater quidam ordinis Minorum, qui multas in ordine Prælaturas obtinebat: vestibus, libris, opibus alijsque rebus congerendis & accumulandis admodum studiosus. Mortuus est tandem miser ille. Cumque Fratres in templo noctu vigilias seruarent, vt insequenti die ipsum sepelirent, ecce omnibus Fratribus inspectantibus ostendit se S. Pater Franciscus cum sanctis Ludouico & Antonio,

manibus accensas faces gestantibus omnibus. Accesserunt igitur ad eum locum, vbi fœtidum miseri Fratris cadauer iacebat, quod S. Franciscus interrogauit, essetne Frater Minor? O rem horrendam! exiuit ex demortui ore vox, quæ Pater, inquit, sum Frater Minor. Cui Sanctus P. Franciscus, ne me inquit, patrem voca improbe ac scelerate, vt qui nunquam filius meus fueris. Nam quando vnquam, O maledicte à DEO votum obedientiæ, paupertatis, & castitatis abs te nuncupatum seruasti? Cui demortuus Fateor, inquit, Pater vera loqueris. S. autem Franciscus vultu ad Sanctos Ludouicum & Antonium conuerso. Quid, inquit, de isthoc improbo qui regulam non obseruauit faciemus? Cui duo Sancti, Pater, inquiunt, tu statue, in cuius manu scelerati huius & perditi Fratris pœna consistit. Tum sanctus Franciscus cum duobus Sanctis maledictum demortuũ accessit, & capitium habitus sustulit. Deinde cubiculum eius ingressi, omnes libros & quicquid supellectilis ibi inuenerunt secum in templum occlu-

ſis ianuis aſportarunt, & ſuper cadáuer iniecerunt. Tum S. Franciſcus ignem admouit, quo omnia cum cadauere ſunt exuſta. Fratres qui circumſtabant vigiles, attoniti atque exanimati diligenter omnia contemplabantur. Poſtquam cadauer cum omnibus iniectis rebus incendio abſumptum fuit, Sancti euanuerunt. Tum Fratres ad eum locum vbi cadauer poſuerant, accedentes omnia in cineres redacta viderunt, ſubitoque ad cubiculum Guardiani accurrentes eum excitarunt; Deinde in demortui cubiculum ingreſſi nihil ibi inuenerunt. Nam omnia, vti antè viderant, ignis abſumpſerat.

Ad hoc horrendum exemplum accedit aliud non minus terribile, quod in eodem loco Chronicorum ſequitur. Erat quidam Frater proprietarius, qui in morbum lapſus triginta nũmos aureos ſub puluinum lecti condiderat, Prælato alijsque omnibus hac de re celatis. Cùm igitur miſer ille Frater animam iam ageret, apparuerunt illi quatuor Diaboli figurâ armatorum homi-

num maximè horrendâ. Quos frater, qui ægroti curam habebat cernens, perculsus terrore humi cecidit, ac deinde pro viriculis se tollens ad Guardianũ subitò cucurrit, eique pariter ac cæteris Monasterij Fratribus, quid vidisset, narrauit. Mandauit Guardianus, vt institutâ supplicatione omnes Fratres cum Cruce & aqua consecrata in ægroti cubiculum progrederentur, & maledictos illos Cacodæmonas per Deum adiurarent, vt ex eo loco facesserent. Quibus adiurationibus Dæmones responderunt se, quòd à Deo missi essent, facere isthuc non posse, sed expectare dum anima è corpore exiuisset, vt eam secum in Infernum asportarent, proptereà quòd Frater ille res proprias & suas possedisset. Fracto deinde iuxta puluinum pariete Dæmones Fratribus triginta nummos aureos ostenderunt, quos infœlix ibi occuluerat, nec vnquam de crimine confessus fuerat. O rem horrendam & expauescendam! Intereà cùm Fratres hoc pacto cum Dæmonibus altercarentur, exibat misera illa anima: quam execrandi Caco-

dæ-

dæmones ſubitò correptam ingenti ſtrepitu atque vlulatu in tenebroſum Infernum ſecum aſportarunt.

Væ, væ ijs Fratribus Minoribus, qui regulam ſuam violant. Nam vitæ illorum exitus procul dubio huic infœlici & miſero Fratri ſimilis erit. Vos quoque Chriſtiani peccatores idem ſentite. Quemadmodum enim Monachi non obſeruantes regulam damnantur, ſic vos omnes peribitis & condemnabimini, ſi leges Dei ſanctæque Eccleſiæ violaueritis. Faxit DEVS vt omnes benè rectéque operantes conſeruemur. Amen.

(·:·)



Exemplum XIII.

SEQVENS EXEMplum clarè demonstrat quam graue sit peccatum, quo diuina Maiestas offenditur. Quocircà omnes peccatores illud benè aduertant, vt fructum inde aliquem percipiant, se emendent, & quamprimùm ob sua scelera pœnitentiam agant.

LEgitur in Prato Spirituali capite 76. complures naues in eodem portu quodam tempore constitisse, quæ omnes extra vnam partim Constantinopolim partim Alexandriam versus, partim in alia loca & regiones secundo vento solutæ sunt, varijs mercibus onustæ. Vna sola in portu stetit per dies quindecim immobilis. Vnde miser nauta rei nouitate perturbatus in luctu & tristitia versabatur, nec quid inciperet sciebat.

Ad extremum ad ſanctam precationem confugit, orans diuinam Maieſtatem, quam ſingulari pietate colebat, vt cauſam quamobrem nauis è portu moueri non poſſet, ſibi indicaret. O diuinam bonitatem ! Intereà dum miſer hic lugens atque ingemiſcens orat, Deoque ſeſe pijſſimè commendabat, audiuit vocem quandam ter altè inclamantem. Eijce foras Mariam, ac tum inſtitutum iter incolumis conficies. Hac voce auditâ anceps tamen quid facturus eſſet hærebat, dubitans an præſtigiæ eſſent à Diabolo profectæ. Tum rurſus eandem vocem clariùs audiuit: Eijce foras Mariam, ac tum iter incolumis conficies. Reſtitit miſer nauta cogitabundus, quæ Maria iſthæc eſſet ignorans. Tandem diuino inſtinctu in nauem mediam progreſſus altâ voce exclamauit. Heus Mariâ. Mulier quæ hoc nomine vocabatur, iſthuc audiens, ſtatim ex loco, vbi iacebat ſurrexit, atque, en adſum, reſpondit. Nauta attonitus vocauit eam ſeorsùm : & vides, inquit, ſoror mea, nauem ob delicta mea non poſſe ex hoc portu moue-

ri, ideoque vos omnes in periculo & discrimine mecum versabimini. Tum illa miserè illachrymans, scito, inquit, me insignem esse peccatricem, ideoque arbitror non ob tuas, sed ob meas noxas nauem hanc per diuinam voluntatem è portu, quandiu ego intùs sum, non posse solui. O rem obstupescendam! Quas tu mihi noxas tuas, inquit nauta, narras soror? Scito, inquit illa, mihi olim maritum fuisse, ex quo duos masculos peperi; quorum cùm alter nouem, alter quinque esset annorum, ego marito, illi patre suo per mortem orbati sunt. Cumque rursum nubere cuperem, misi ad militem quendam meum vicinum, qui interrogaret, velletne me vxorem ducere? cui cùm is respondisset, se nolle vxorem, cui ex alio marito essent liberi, ego vecors atque amens amore militis, vt voti mei compos fierem eumque acciperem maritum, vtrumque filiolum interfeci. Verùm, O miseram me! cum immane illud facinus meum Militi retulissem, ille tanto maleficio audito: Auertat, in-

inquit DEVS, ne vnquam vxorem ducam suorum ipsius liberorum interfectricem. O me infortunatam! Cùm me vsque adeò pudefactam viderem, verita, ne scelere detecto atrox supplicium de me sumeretur, decreui patriam relinquere, inque longinquas regiones aufugere, vbi & ego, & crudelitas illa mea esset ignota. Hæc igitur, frater mi, causa est huius tui mali. Nauta tantis rebus cognitis, magnâ in mulierem misericordiâ motus interea dum illa hos casus narrabat, vim lachrymarum profudit. Nec subitò eam in mare eijcere voluit, sed: Ego, inquit, soror in hanc scapham intrabo, & si nauis egresso me cursum suum repetet, illa causa erit, quamobrem non tua, sed mea peccata nauem in hoc portu immobilem detineant. Hoc dicto in scapham insiluit, nauis verò, quemadmodum antè, hæsit immobilis. Tum ille nauem rursum conscendit miseram mulierculam oculis lachrymis manantibus his verbis alloquens: Tu nunc in scapham

descende, vt quid diuinum numen facturum sit videamus. O rem horrendam! statim vt Maria illuc descenderat cæpit schapha quinquies in orbem circumuagi, ac deinde cum Maria impœnitente in profundum submersa est. Nauis verò tam celeriter è portu soluta est, vt spatio trium dierum cum dimidio cursum quindecim dierum confecerit. Heu peccatores & peccatrices discite ex Maria *illa ob* delicta vestra agere pœnitentiam, ne idem vobis aliquando accidat. Vos quoque qui per mundum obambulatis, discite ex hoc exemplo, ne vnquam societatem cum improbis ac perditis hominibus coeatis, in mari præsertim adeò periculoso.



Exem-

Exemplum XIV.

EX HOC EXEMPLO mulierum leuitas poterit animaduerti, quam grauis sit ipsarum error (qui tamen ab ijs in nullo vitio ponitur) cùm sese tam magnificè, vanè atque extra modum comunt atque ornant.

SCribit Discipulus in suis sermonibus fuisse pium quendam & religiosum Sacerdotem, qui defunctâ suâ matre grauiter mœrebat, multasque Missas celebrabat, & frequentes preces diuinæ bonitati adhibebat, vt animæ demortuæ suæ matris subueniret. Verùm (ô rem horrendam!) cum die quodam sacrum faceret pro defunctis, vehemēter cupiens quid matri accidisset cognoscere, ostendit se illa terribili atque horrendâ figurâ inter duos teterrimos Cacodæmonas constricta atque colligata. Videbat quoque de capite loco crinium fœdissimos serpentes, qui ipsā mordebant ac lacerabant, dependen-

tes. O rem expauescendã! cernebat in pectore hærentem ingentem bufonem, sanguinem expumantem, qui pedibus collum cingebat, ipsique in horrendam faciem sanguinolentas spumas, atque igneas flammas inhalabat. Videbat præterea pedes manusque ignitis catenis constrictas. Dictum deinde est Sacerdoti se frustrà pro ipsa orare, quæ miserè iam esset damnata, quæque omnes illos cruciatus propter capitis ac capillorum ornamenta sustineret: ob eamque causam ignitos illos serpentes illi inhærere. Bufonem autem ideo pectori impositum, quòd collo & mammis semper fuisset apertis. Quòd verò faciem fucasset, ideò bufonem igneas illas flammas & cruentas spumas in eam cõijcere. Deniq; quòd manibùs in impudicis amplexibus & attactibus vsa fuisset, pedibus verò saltasset Deumque offendisset, idcircò ignitâ catenâ ipsam esse constrictam.

Væ igitur vobis leuissimæ mulieres, quæ cõtenditis vestris vanitatibus Deũ nihil offendi. Væ, vobis, væ inquam vobis miseræ.



INDEX CAPITVM.

Alia

Quartæ Tubæ Capita.

Quintæ Tubæ Capita.

De

Sextæ Tubæ Capita.

Septimæ Tubæ Capita.

FINIS.





